Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput primum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

8 omnium communione post peractam consecrationem. De communione sub utrâque specie à Laicis aliquando servatâ. De Agapis, seu communibus conviviis olim in Ecclesiâ fieri solitis. De mutuô osculô post preces, sive de ritu se mutuò salutandi in osculo pacis. Hic nobis præcipuè de Divinis Traditionibus agendum. circa quas sit.

~~De singulis hisce Traditionibus singulis capitibus mandò agendum~~.

20. Caput Primum

De Traditionibus Divinis, earumque existentiâ, necessitate et auctoritate.

Tria circa Traditiones divinas præsenti Capite nobis præcipuè examinanda sunt; an videlicet dentur et existant; Quænam illarum sit auctoritas; et denique, an sint necessariæ. Sit igitur

Conclusio Prima.

~~20.~~ Præter Scriptum Dei verbum datur etiam non Scriptum, seu Traditio divina, ~~altera fidei nostræ regula~~

Pb. Conclusio I.º ex S. Scripturâ.

Scriptura sacra audienda est et sequenda tanquam fidei nostræ regula: Ergò etiam verè datur, et audienda, ac sequenda, et tenenda est divina aliqua Traditio. Antecedens ultrò omnes admittunt etiam ii, qui traditiones divinas rejiciunt.

Consequentia probatur. Ipsa sacra Scriptura multis in locis Traditionem audiendam et tenendam esse docet, tam in Veteri, quàm in Novô Testamentô: Ergò si audienda est et sequenda S. Scriptura: Traditio quoque divina audienda, tenenda et sequenda erit.

Prob: ant. ab inductione locorum S. Scrip-
9
ture, quibus hæc divina Traditio commenda-
tur. 1.º Ex Veteri Testamento: Deut.
c. 32. v. 7. dicitur: Interroga Patrem tuum,
et annuntiabit tibi; Majores tuos, et di-
cent tibi. Psalmo 43. v. 1. Deus auribus
nostris audivimus, Patres nostri annuntia-
verunt nobis opus, quod operatus es in die-
bus eorum, et in diebus antiquis. Isai.
cap. 38. v. 19. Pater filiis notam faciet veri-
tatem tuam. Jerem. c. 6. v. 16. State
super vias, et interrogate de semitis antiquis
quæ sit via bona, et ambulate in eâ: et
invenietis refrigerium animabus vestris.
Eccli. c. 8. v. 11. Non te prætereat narra-
tio Seniorum: ipsi enim didicerunt à Patri-
bus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum,
et in tempore necessitatis dabis responsum.

Atqui apertum est, his locis Veteris Ins-
trumenti Scripturam traditionem divinam
commendare. Ergò constat ex Scripturâ
Veteris Instrumenti, dari et audiendam
esse Traditionem aliquam divinam.

2.º Ex Scriptura Novi Testamenti.
Joan. cult. v. 25. ait Apostolus Evangelista: Sunt
autem et multa alia, quæ fecit Jesus, quæ
si scribantur per singula, nec ipsum arbi-
tror mundum capere posse eos, qui scriban-
di sunt, libros. Ergò non omnia continen-
tur in Scripturâ Sacrâ, sed multa per Traditio-
nem ad nos perlata fuêre de Christô ejusque
præceptis. Verisimile enim non est, Apostolos,
ea, quæ fecit et docuit Jesus, quæque scripta
non fuerunt, Ecclesiæ non tradidisse.

Act. c. 1. v. 3. narrat Lucas: quòd Christus
se ipsum vivum post passionem suam in mul-

10. tis argumentis præbuerit Apostolis suis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regnô Dei. idest, aperiens eis plurima fidei nostræ mysteria, juxtâ quod ante passionem suam eis promiserat dicens*: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

* Joan. c. 16. v. 12.

7/239.

Atqui hæc multa in Evangeliis, quæ præ manibus tenemus, scripta non leguntur; pauca enim admodum de iis, quæ fecit et docuit Jesus, præsertim per quadraginta dies illos, Evangelistæ adnotarunt, prout ipsimet fatentur. Ergò plurima eorum tantum oretenus tradiderunt.

2. Thessal. c. 2. v. 14. ait Apostolus: Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Atqui etiam Traditiones non scriptas, seu per sermonem acceptas commendat Apostolus. Ergò ꝑ.

1. Cor. c. 11. v. ult. Scribit idem Apostolus: cætera, cùm venero, disponam. atqui quid, ubi Corinthum venit, disposuerit, nuæibi scriptum invenitur: Ergo illud per Traditionem ad nos delatum fuisse censendum est; nempe circa Ministrorum ordinationem, et Altaris Sacrificium, prout verisimile est; loquitur namque hôc locô Apostolus de modô sumendæ Eucharistiæ. Quam ~~[illegible]~~ Traditionem paulò ante commendaverat v. 2. his verbis: Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, ~~[illegible]~~ et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Item v. 13. Ego, inquit, accepi à Domino, quod et tradidi vobis.

Idem Apostolus hisce Timotheum Discipulum suum alloquitur*: formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu. Item*: Tu ergo fili mi confortare in gratiâ,

* 2. Timoth. c. 1. v. 13.

* c. 2. v. 1.

quæ est in Christo Jesu: et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. ii.
ubi manifestè patet, loqui Apostolum de doctrinâ ad fidem et dilectionem spectante et, non scriptâ, sed vivâ voce traditâ.

Ergò etiam Sacra Novi Testamenti Scriptura commendat fidei doctrinam aliquam, non scriptam sed traditam, seu non scriptum sed traditum aliquod Dei verbum, idest, Traditionem. Ergò ex S. Scripturâ constat dari et audiendam esse Traditionem divinam quamdam.

Prob. 2do Conclusio ex Conciliis, ~~quæ~~ vi.
1o Quia ipsa decernunt Traditiones divinas suscipiendas esse et venerandas. ~~[illegible]~~ Synodus Oecumenica V.* anathemate perculit eos, qui unâ et eâdem adoratione Verbum Divinum simul cum suâ carne assumptâ adorare nolent, sicut ab initio Ecclesiæ traditum est. Quod quidem in Sacrâ Scripturâ nullibi clarè exprimitur. * an. 553.

Canonem autem superiorem sic concludunt ~~Concilio~~ hujus Synodi Patres: Cum igitur hæc ità rectè confessi sumus, 1: loquuntur de unione hypostaticâ duarum naturarum in Christo sine ullâ earum confusione; quæ tradita nobis sunt tam à Divinis Scripturis, quam à SS: Patrum Doctrina, et ab his, quæ definita sunt de unâ eâdemque fide à prædictis quatuor Sanctis Conciliis.

In Sextâ Synodô generali* Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus sex- * an. 680.

12 cento et amplius SS. Patrum loca contra Monothelitas protulit; quod testatur Stephanus Episcopus Dorensis in Synodo Romana sub Martino I. habita, et patet etiam ex actione decima Sexti Concilii Oecumenici; ut demonstraret perpetuam Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis acceptam Monothelitarum erori omnino contrariam esse.

In Septima Synodo Nicea contra Iconoclastas congregata*, unde Nicena Secunda nuncupatur; unanimiter profitentur Episcopi, se Traditiones Ecclesiasticas; idest, à Christo et Apostolis Ecclesiæ consignatas; sive Scriptò sive consuetudine valentes et decretas retinere velle. Deinde regiam viam appellant adhærere Traditionibus et SS. Patrum doctrinæ. Actione item 6ta: Quod autem, inquiunt, cum multis aliis, quæ in Ecclesia observantur sine Scripturâ, nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est. Denique act. 7ma in fine hæc eloquuntur memorati Patres: Si quis Traditionem Ecclesiæ, sive Scriptò, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.

* an. 787.

8
240

Octava Synodus Oecumenica* Traditionum auctoritatem can. 1mo act. 10ma confirmat his verbis: Ut rectam, regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensâ teneamus, SS. Patrum decreta, veluti inextinctæ quadam semperque lucentes faces sequenda sunt. Hua-

* an. 869.

propter Sanctiones Ecclesiæ Catholicæ et 13.
Apostolicæ per Traditionem, tùm à Sanctis omnique laudis præconiô celebrandis Apostolis, tùm ab Orthodoxis, Oecumenicisque et Provincialibus Concilijs, aut à quovis Deiloquô Patre et Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per Sermonem, sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitæ Sanctitate nobis præluxerunt acceptas magnus Apostolus tenendas monet.

Denique Concilium Tridentinum* Sess. 4. definit Traditiones Apostolicas, quæ quasi per manus transmissæ ad nos usque pervenerunt, æquales esse cum verbô Dei scriptô autoritatis. En ipsius verba: Sacrosancta, Oecumenica et Generalis Tridentina Synodus perspiciens veritatem fidei, et disciplinam morum contineri in libris scriptis, et sine scriptô in Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sanctô dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quàm Novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christô, vel à Spiritu Sanctô dictatas, et continuâ Successione in Ecclesiâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit, et veneratur. Hæc Concilium Tridentinum de Traditionibus, quibus

* ab. an. 1545. usque ad an. 1563.

14. hæc subjungit: Siquis Traditiones prædictas Sacras et prudens contemserit, anathema sit.

Ergò ex Sacris Ecclesiæ Conciliis constat dari, et suscipiendas, ac venerandas esse Traditiones Divinas.

2.° Quia revera, ut vidimus, ipsa Sacra Ecclesiæ Concilia hujusmodi Traditiones dari, et suscipiendas esse declarant, sed etiam suo usu et praxi docent, non alia via citiùs à se fuisse extinctas hæreses, et debellatos Hæreticos, quàm Traditionis auctoritate: Sic enim Romana Secunda Synodus sub Corneliò Papâ habita anno 255. Traditione Novatianam confodit hæresim. Sic Antiochena sub Dionysiò Papâ celebrata anno 266. Paulum Samosatenum Traditione devicit.

Sic Nicæna Œcumenica prima sub Silvestrò Papâ habita anno 325. ex doctrinâ non Scriptâ, seu Traditione Arium debellavit, ut disertè testatur Theodoretus*. Etsi enim quædam Scriptura poterant adferri contrâ Arium, tamen, quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrinâ non Scriptâ, sed per manus Patrum sibi in Ecclesiâ succedentium traditâ eum confutaverunt, et damnarunt.

Sic Constantinopolitana I. sub Damaso Papa anno 381. Macedonium evertit. Sic Milevitana II. an. 416. sub Innocentiò I. Pelagium confodit.

Sic Ephesina I. sub Cœlestinò, annò 431. Nestorium, Sic Chalcedonensis sub Leone I. an. 451. Eutychem., Sic Bracarensis anno 563. sub Joanne III. habitâ

* Lib. i. Hist. c. 8.

Priscillianistas. Sic denique Nicæna II. 15.
Sub Adrianô I. an. 787. Iconomachos expugnavit, et Sacrum Imaginum cultum ex Traditione venisse Apostolicâ pronuntiavit ρ.

Prima Ch. pag 49

[Ergò ex Sacris Ecclesiæ Conciliis manifestè patet, dari, et suscipiendas ac venerandas esse Traditiones divinas, easque utiles et necessarias esse ad refellendos hæreticos, et extinguendas hæreses.

Prob: 3.tio ex testimoniis Summorum 22.
Pontificum. 1.o S. Fabianus Papa et Martyr, vel quisquis alius, epist. 2. ad Episcopos Orientis, postquam docuerat, singulis annis Sacrum Chrisma renovandum esse, hæc subjunxit: Ista à Sanctis Apostolis, et eorum Successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus. Et certè de Chrismate renovandô nihil in Sacris litteris legimus.

2.o S. Innocentius I. epist. 1. quæ est ad Decentium: Si instituta, inquit, Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vedent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus, et consecrationibus haberetur. Ibidem c. 3. docet, Confirmationem etiam parvulis conferendam, et à solô Episcopô, et sub certâ verborum formâ. de quâ formâ nihil in Scripturis Sacris apertè continetur.

3.o S. Leo I. Sermone de Quadragesima: Apostolica, inquit, institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur. Et Serm. de jejuniô Pentecostes: Dubitandum non est,

16. Dilectissimi, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinae, et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolicâ, et de Spiritûs Sancti prodire doctrinâ. Vide etiam Serm. 8. et 9. de jejunio Septimi mensis.

23. Pb. 4.to Ex SS. Patribus tam Graecis, quàm Latinis.

Ex Graecis 1.o S. Dionysius Areopagita, seu Auctor Ecclesiastica Hierarchiae qui antiquissimus est, et cujus opera in Sextâ, Septimâ, et octavâ Synodis Oecumenicis, nec non à S. Gregoriô Magnô Hom. 34. in Evang. laudantur. Haec de traditionibus eloquitur:* Primi illi Sacerdotalis muneris nostri Duces, Summa illa et Supersubstantialia partim Scriptis, partim non Scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.

* Eccles. Hierarch. c. 1.

2.o S. Polycarpus apud Eusebium* S. Irenaeo discipulo suo referebat plurima, quae à Domino dicta ab Apostolis audiverat.

* Hist. l. 5. c. 20.

3.o S. Justinus Martyr in Apolog. circâ finem ait, Christum Apostolis tradidisse, convenire singulis diebus Dominicis consecrare vinum aquâ mixtum &c.

4.to S. Ignatius Martyr apud Eusebium* ait, se ad certiorem posteritatis notitiam traditiones Apostolorum suô testimoniô confirmatas Scriptis mandare necessarium duxisse.

* Hist. l. 3. c. 36.

5.to S. Irenaeus lib. 3. c. 4. haec inter alia multa scribit: Hâc ordinatione, et successione Pontificum, ea, quae est ab Apostolis, in Ecclesiâ traditio, pervenit usque ad nos. Item c. 2. loquens de Cerinthianis, Valentinianis, et aliis haereticis, cum autem, inquit, ad eam traditionem, quae est ab

Apostolis, et quæ per Successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni. Et cap. 4. Quid autem, inquit, Si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum idorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel attramentô Scriptam habentes per Spiritum Sanctum in cordibus suis Salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes.

6.ts Papias Lib. 4. Non his, ait, qui multa dicunt, sed qui vera docent, obtector; neque ex iis, qui aliena et nova mandata commemorant; sed ex his, qui recordatione renovant ea, quæ sunt à Dominô per fidem tradita, et ab ipsâ veritate profecta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar; nempe, quid Andreas dixisset, quidnam Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini Discipulus..... Neque enim ea, quæ in libris pandebantur, tantum mihi subsidii allatura existimavi, quantum ea, quæ acceperam ex hominum voce et sermone, qui adhuc in vitâ manebant.

7.mo Clemens Alexandrinus apud Eusebium*, ait: Se compulsum à fratribus esse, ut traditiones, quas ab antiquioribus Presbyteris, id est, Apostolorum Discipulis, acceperat, Scriptô

* Hist. l. 6. c. 13.

2/242

18. posteris traderet. Hoc autem præstitit in lib. de Paschate.

8.vo Origenes in c. 6. Ep. ad Rom. ait: Ecclesia ab Apostolis Traditionem acepit, etiam parvulis Baptismum dare. Et Hom. 8. in Num. multas traditiones Apostolicas enumerat.

9.no S. Athanasius libro de decretis Nicæna fidei contra Eusebium hæc eloquitur: Hæc nos quidem, ex patribus ad patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus; vos autem, ô novi Judæi et Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?

10.mo S. Basilius Magnus de Spiritu Sancto c. 27. ait: Dogmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ Scripto proditâ, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysteriô, id est, in occultô, tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica..... Quod genus est, ut ejus, quod primum est, et vulgatissimum, primô locô commemorem, ut signô crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis Scriptô docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ docuit Scriptura? Et hom.

28. contra Sabellium, Arium, et Anomæos: Et, inquit, ne Spiritum Sanctum à Patre et filio separes, absterreat te Dominica Traditio; Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observaverunt, Martyres confirmarunt; Satis tibi sit, ut dicas quemadmodum S. Cyrillus Jerosolymita-

mus Catechesi 5. dicens: Videte itaque fratres, ut servetis Traditiones, quas nunc accepistis, et in Cartitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis. 19

11mo S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, ubi postquam dixisset, propter dogmata Testamenti Veteris et Novi doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Juliano mirabilem, statim hæc addit: Cæterum majorem atque insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras, quas Traditione acceptas in hunc usque diem servamus, p. Ubi per figuras Ecclesia paulò post se intelligere dicit disciplinam, politiam, ordinem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, sacraria in Templis, Monachorum ac Virginum cœnobia, et alia permulta ex solâ Traditione profecta.

12mo S. Epiphanius Hæres. 61. oportet, inquit, autem et Traditione uti; non enim omnia à divinâ Scripturâ possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dixit Apostolus, sicut tradidi vobis. Et Hæres. 69. Respondete nobis, ait, Arii discipuli, ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum; et admirabilis est dictio, scilicet, ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite? neque enim Lex, neque Prophetæ, neque Apostoli, p.

13tio S. Chrysostomus in 2. ad Thessal. hom. 4. State, inquit, et tenete; hinc est perspicuum, quòd non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scrip-

344
3
243

20. tô, et ea quoque sunt fide digna; quamobrem Ecclesia quoque Traditionem censemus esse fide dignam; est Traditio, nihil quaras amplius.

14.to S. Joannes Damascenus lib. 4. de fid. Orthodox. c. 17. circa finem. Quodautem, ait, Apostoli quam plurima nullô Scriptura Sacra locô prodita nobis tradiderint, his verbis testatur ille gentium Apostolus Paulus: Tenete Traditiones &c.

Ex Latinis. 1.o Tertullianus lib. de coron. milit. c. 4. post enumeratas nonnullas Christianæ Religionis observationes et ceremonias de baptismô, de signô crucis, de oblationibus pro defunctis, et similes alias hæc subjungit: Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules, Scripturam nullam invenies; traditio tibi prætenditur autrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexit disces.

2.o S. Cyprianus lib. 1. Epist. 12. Ungi quoque, inquit, necesse est eum, qui baptizatus sit &c. at id non ex S. Scripturâ duntaxat, ut quæ de hoc profundè sileat, sed ex Traditione habetur. Item lib. 2. Epist. 3. Admonitos nos scio, ait, ut in calice offerendô Dominica traditio servetur, ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus aquâ offeratur.

3.o S. Hilarius Pictaviensis lib. contra Constantium Imperatorem Arianum hoc objicientem: Nolo verba, quæ non sunt

scripta Legi, hisce respondet: Rogo, quis Episcopus jubeat? quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Quibus verbis duo intendit Hilarius: 1.º prædicationem consubstantialitatis Patris et Filii, etsi non expressam in Scripturis, esse tamen Apostolicæ prædicationis. 2.º Vocem ipsam ὁμοούσιον, licet novam, et nusquam in Scripturis expressam, retinendam tamen, quia Apostolicæ prædicationi, seu Traditioni conformem.

4.º S. Ambrosius Serm. 28. 34. et 36. Quadragesimam à Christo præscriptam docet. Et Serm. 38. Symbolum Apostolorum Traditionem Apostolicam esse non scriptam asserit.

5.to S. Hieronymus Epist. ad Marcellam de erroribus Montani: Nos, inquit, unam Quadragesimam ex Apostolicâ Traditione tempore nobis congruô jejunamus. Et in Dialogo adversus Luciferianos c. 4. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret; nam et multa alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem; die Dominicô et per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare, et jejunium solvere; multâque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.

6.to S. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 4. c. 24. Quod universa, ait,

tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi autoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

7mo S. Petrus Chrysologus Serm. 85. Christianus animus, ait, quæ sunt traditione Patrum, et ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed venerari, ac totâ desiderat venerationis eloquio.

4/244

8vo S. Gregorius Magnus lib. 9. Epistolarum Epist. 61. Ab antiqua, inquit, Patrum institutione didicimus, ut quilibet, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manûs, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.

9no Denique, omissis aliis, Vincentius Lirinensis commonit. c. 32. ait: Ecclesiam per decreta et definitiones Conciliorum aliud non agere, nisi id, quod à suis antecessoribus, seu Apostolis per traditionem non scriptam accepit, fidelibus per Scripturam communicare.

Ergo ex horum omnium aliorumque quos brevitatis gratiâ hic ~~omittimus~~ omittimus, unanimi SS. Patrum consensu constat dari in Ecclesia Christi, præter Scripturam sacram, fidei doctrinam aliquam non scriptam, sed vivâ voce Apostolis à Christo traditam, et ab Apostolis, per successores, ad nos usque transfusam.

24. Prob: 5to Rationibus Theologicis.

1o Multa credimus fide divinâ, quæ in S. Scripturâ expressa non sunt: Ergo multa sunt, quæ solùm vivâ voce à Christo Apostolis, et ab his Ecclesiæ tradita fuerunt;

et consequenter dantur Traditiones. Ant. 2.3.
pb. Divinâ fide credimus, quòd B. V. Maria Deipara fuerit semper etiam post partum, Virgo. Quòd parvuli sint Baptizandi, etiam ante rationis usum. Quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi. Quòd ad Baptismi valorem hæc sit adhibenda forma, Ego te baptizo in nomine Patris &c. Quòd detur et existat apud nos Scriptura verè divina, seu quæ sit verum Dei Verbum. Quod hi et illi ipsius libri, et non alii, sint Canonici &c.

Atqui hæc et alia permulta, quæ fide divinâ credimus, non habemus ex Scriptô Dei verbô, seu ex Sacrâ Scripturâ, ut quæ nullibi de iis quidpiam expressè memoret; Ergò ex traditô et non Scriptô Dei verbô, seu ex Traditione divinâ ab Apostolis Spiritu Sanctô illustrati consignatâ.

2do Apostoli non omnia Scripserunt, quæ prædicarunt: Ergò multa nobis per Traditionem reliquerunt. Ant. Prob. Apostoli ob certas duntaxat occasiones ad Scribendum fuerunt compulsi: Ergò ea tantùm Scripserunt, ad quæ conscribenda occasiones illæ eos compellebant. Sic S. Joannes, quia, prout testatur S. Hieronymus*, occasione hæresis Cerinthi et Ebionis qui negabant Christi divinitatem, Evangelium suum conscripsit, præcipuè ea, quæ ad Christi divinitatem comprobandam pertinent, Scripto mandavit, ut patet ejus Evangelium legenti. Ergò Apostoli plura nobis per Traditionem reliquerunt.

* In catalogo.

3tio Multa quantùm ad Sacramentorum Administrationem fide divinâ

24. credimus, quæ nusquam in Scripturâ Sacrâ notantur: Ergò ea ex Traditione divinâ credimus. Ergò datur talis divina traditio. ant. prob. ex passim dictis. cons. patet.

4.to In lege Naturæ et Mosaïcâ fuerunt aliquæ Traditiones divinæ: Ergò etiam in Lege novâ. Si enim in Veteri, aut non quoque in Novâ dentur. ant. pb. quantum ad Legem Naturæ: In Lege Naturæ fuit divina fides. Ergo in Lege Naturæ fuerunt aliquæ revelationes divinæ: atqui revelationes illæ non fuerunt ab aliquo Sacrô auctore Scriptæ. Ergò revelationes illæ vivâ tantùm voce traditæ et conservatæ fuerunt. Quòd autem in Lege Naturæ fuerit fides divina, patet ex eo, quòd in eâ fuerint justi: justus autem ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo, ut ait Apostolus*.

* Heb. 10. v. 18. et c. 11. v. 6.

5/13

Deinde Deus Adamo multa revelavit ante ipsius lapsum, ut existentiam suam, mysterium SS. Trinitatis, immortalitatem animæ, supplicium æternum impiis, et æternam beatitudinem justis in alterâ vitâ preparatam. Item post ejus lapsum, ei revelavit venturum Messiam Deum et hominem p., remedium parvulis adhibendum ad delendum peccatum originale p. item plura alia circâ cultum Dei æternum p. Hæc autem omnia Adamus non Scriptô sed vivâ voce tradidit filiis suis, qui et ea posteros suos vivâ similiter voce docuerunt. Plura etiam prout dubiô Deus revelavit Seth, Enos, Enocho, Noemo et Abrahamo, qui ea non calamô sed ore posteris suis tradiderunt.

Pb. ant. etiam quoad Legem Mosaicam; Judaei fide divinâ multa credebant explicitè, quorum tamen in Veteri Testamento nulla fit expressa mentio; ut sunt, animae immortalitas; mortuorum resurrectio in fine mundi; poena temporaria in alterâ vitâ pro peccatis remissis debita et persolvenda; masculis ante diem octavum, post ortum suum, morientibus, et foemellis peccati originalis condonatio per ritum aliquem externum ꝛc. Atqui illa credebant propter revelationem divinam: Ergò propter Traditionem divinam. 25.

Deinde vera Legis Scriptae intelligentia, quam Moyses tradidit Sacerdotibus, ut eâ ad controversias circâ sensum legis exortas dirimendas juvarentur, fuit vera traditio divina; fuit enim nova revelatio per Moysen à Deô non Scriptotenus sed vivâ voce facta Sacerdotibus. Ergò ꝛc.

Denique hunc vel illum librum esse divinae auctoritatis scire aut credere non poterant sine traditione; quemadmodum et in Lege nova idipsum nosse aut credere sine traditione non valemus. Ergò datur traditio Divina, seu verbum Dei non Scriptum.

Conclusio Secunda.

Traditiones divinae eandem habent auctoritatem ac Scriptura Divina. 25.

Prob. conclusio 1º ex Sacrâ Scripturâ, et quidem ex textibus et sententiis ab illa petitis ac conclusione praecedenti à nobis adductis. quibus divina Traditionum Christi et Apostolorum auctoritas, non secùs

26. ac ipsius S. Scripturæ commendatur. Apostolus profectò quando hisce Thessalonicenses alloquitur*: State, et tenete Traditiones, quas didicistis sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram. eandem rationem habet Traditionum ac Scripturæ Sacræ seu Epistolæ suæ; Ergò et etiam juxtâ eundem Apostolum eadem est utriusque autoritas, divina nempe.

* 2. ad Thessal. c. 2.

Item ubi Timotheum hortatur his verbis*: formam habe Sanorum verborum quæ à me audisti in fide .... bonum depositum hoc custodi. Item*, Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, et alios docere. Certum est, hic loqui Apostolum de verbis non scriptis, seu vivæ vocis traditione prout etiam testes sunt Chrysostomus et Theophylactus*: non verò de verbis à se Scriptis; nam, quæ à me audisti, inquit, non quæ Scripsi tibi. Atqui hæc sua verba non Scriptâ seu Traditionem suam prorsus eâdem commendat ratione ac ipsam Scripturam Sacram, ut patet, Ergò p.

* 2. ad Tim. c. 1.

* ibid. c. 2. v. 2.

* in hunc Apostoli locum.

Idem significat S. Joannes Apostolus fideles omnes, ad quos scribit, hisce alloquens*: Vos, quod audistis ab initiò in vobis permaneat. Non enim ait, Quod legistis, sed quod audistis. Ergò et ipse Traditionem commendat velut autoritatis divinæ.

* Ep. 1. c. 2. v. 24.

6/14

26. Prob. Conclusio 2.ª autoritate Conciliorum supra Conclusione primâ adductorum. quæ Traditiones divinas æquè ac Sacram Scripturam velut fidei regulas suscipiendas esse definiunt; atque omnes idos, qui eas contemserint, anathemate percellunt, vide cit. loc.

Prob. 3tio autoritate Summorum Pontificum, quorum effata loc. cit. adduximus, præcipuè autem S. Leonis I. qui, dubitandum non est, inquit*, omnem observantiam Christianam esse divinæ constitutionis, et quidquid ab Ecclesiâ in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolicâ, et de Spiritûs Sancti prodire doctrinâ. 27 27

* Serm. de jejun. Pent.

Pb. 4to Ex Sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis. 28.

Ex Græcis quidem, præter ea, quæ sæpe dictâ Conclusione jmâ ex illis tenimus, notatu digna sunt, quæ ait S. Irenæus*: Scilicet, Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias. Quibus apertè eandem esse Traditionum ac S. Scripturæ autoritatem innuit.

* lib. 3. c. 4.

Consonat S. Basilius ibidem citatus, cùm*, postquam asserit, dogmata fidei nostræ partim ex Scriptâ, partim ex traditâ doctrinâ haberi, sic concludit: quæ utraque ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit.

* lib. de Spirit. S. c. 27.

Ut et S. Chrysostomus, qui*, postquam perspicuum esse dixit, quòd Apostoli non omnia in Scriptis, sed etiam aliqua sine litteris tradiderint, subjungit: eâdem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa. vide sup. loc. cit.

* in 2. ad Thessal. hom. 4.

Ex Latinis autem, præter illorum quas sup. adduximus, autoritates, conclusionem nostram adhuc roborant ea, quæ 1o Tertullianus lib. de Corona Militis c. 3.

28. eloquitur in hæc verba: Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas Scripta. Ergo quæramus, an et Traditio non Scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nuda exempla præjudicent aliarum observationum quas sine ullius Scripturæ instrumentô, solius Traditionis titulô exinde consuetudinis patrociniô vindicemus.

lib. 2. de Bapt. c. 7. Multa, inquit etiam S. Augustinus, non inveniuntur in litteris eorum /: Apostolorum :/ et tamen quia custodiuntur sicut cætera, quæ ibi sunt per universam Ecclesiam, rectè ab Apostolis tradita creduntur.

Vincentius Lirinensis toto commonitorii sui librô probat Traditioni esse inhærendum in rebus, quæ fidem et mores spectant. Cap. 2. quærit, quâ viâ Catholica veritas ab Hæreticâ pravitate discerni possit; respondetque, id fieri posse, tum divinæ legis Scriptæ auctoritate, tum Ecclesiæ Catholicæ auctoritate.

29. Pb. 5.to rationibus Theologicis: 1.o Traditiones divinæ non minus sunt verbum Dei, quàm Sacra Scriptura; cùm fuerint partim oretenùs à Christô, partim à Spiritu Sanctô Apostolis transmissæ: Ergo Traditiones divinæ eandem habent auctoritatem ac Sacra Scriptura; Verbum enim Dei sive Scriptum sit sive non, æqualem semper habet auctoritatem; non quippe ex eô suam auctoritatem sumit Scriptura Sacra, quòd Scripta sit, sed quòd sit Verbum Dei.

2.o Traditiones divinæ sunt æquè infallibilis et primaria fidei nostræ regula ac Sacra Scriptura: Ergò et ejusdem

cum eâ sunt autoritatis. Pb. ant. 1.o Pluri- 29
bus annis post Christi mortem nuda extitit No-
vi Testamenti Scriptura; ejusdemque Tes-
tamenti Libri variis successivè temporibus
conscripti fuêre. Imò appositè S. Irenæus
testatur*, suo adhuc tempore, id est, sub finem * Lib. 3. c. 4.
Saeuli secundi, fidei puritatem integram
conservatam fuisse apud multas barbaras
gentes sine caractere vel attramentô sed solâ
Traditione; prout sup. retulimus. Ergò tum
temporis sola traditio, quam ab Apostolis
acceperant hi fideles, erat eorum fidei re-
gula.

Pb. ant. 2.do Primis temporibus
Ecclesia super solis Traditionibus fundata
erat. Ergò ea erant ejus fidei regula, adeo-
que divinæ autoritatis. Pb. ant. Si Eccle-
sia primis temporibus non solis traditioni-
bus fundata fuisset; Christus doctrinam suam
Scriptis mandare Apostolos jussisset. Atqui
hoc non fecit. Ergò p. Pb. min. Chris-
tus Apostolis suis præcepit ut Evangelium
suum omni creaturæ* prædicarent dunta- * Marci c. 16.
xat. Ergò p. Deinde, si Christus
ipsos jussisset scribere Evangelicam doctri-
nam, idem utique vel singuli pro sin-
gulis regionibus, ad quas transituri erant,
vel simul congregati pro universo orbe
scripsissent; quemadmodum communiter
edidisse Symbolum Fidei non scriptô dun-
taxat, sed vivâ voce creduntur. Atqui
neutrum prestiterunt. Ergò p.

Pb. 3.tio idem antecedens. Apostoli
solam Traditionem ad fidem stabilien-

30. dam sufficere arbitrati sunt, neque ad id Sacram Scripturam per se necessariam esse crediderunt. Ergò sp. bb. Ant. Apostoli sua Evangelia et Epistolas tantùm extrinsecâ quadam occasione impulsi, non verò ex professò conscripserunt. Ergò ea ex naturâ suâ necessaria esse ad stabiliendam fidem non censuerunt, sed solam traditionem ad id sufficere arbitrati sunt. bb. Ant. S. Matthæus suum Evangelium à Palestinis fidelibus, quos ad fidem adduxerat, cùm brevi eos derelicturus, et ad eam, quæ sibi sorte obtigerat, regionem profecturus esset, exoratus scripsit, ut aliquod doctrinæ suæ monumentum ipsis relinqueret.* S. Marcus verò Romanorum precibus victus Evangelium suum scripsit, atque in eo pleraque, quæ à S. Petro audiverant eis tradidit.* Lucas, quia viderat, multos ea, quæ non noverant, ausos esse litteris mandare, Evangelium suum exaravit. Joannes familiarium suorum rogatu Evangelium suum vulgavit, prout testatur Clemens Alexandrinus.* Acta Apostolorum nonnisi ad manifestandum Religionis Christianæ progressum promulgata fuere. S. Paulus Epistolas suas potissimùm occasione quarundam controversiarum sedandarum conscripsit. Imò etsi quamplurimas fundarit Ecclesias, ad septem vel octo duntaxat Epistolas tamen misit; in quibus non de omnibus quidem fidei mysteriis disserit, sed de quibusdam tantùm, prout videlicet circumstantiæ exigebant.

* Euseb. Hist. l. 6. c. 24.

* Idem ib. l. 2. c. 15.

* Marc. c. 15

* apud Euseb. Hist. l. 6. c. 14

Ergò Apostoli ad fidem Stabiliendam Scriptu- 31.
ram Sacram per se necessariam esse non cen-
suerunt, sed solam sufficere Traditionem
crediderunt. Ergò eandem habet auctoritatem.

Pb. Conclusio 3tiâ ratione Theologicâ:
Multa de fide absolutè credimus, quæ non
ex S. Scripturâ, sed ex solâ Traditione ha-
bemus, prout Argumento 5to à ratione
in priori Conclusione ostendimus; atque ea
eâdem fide tenemus ac si expressè in
Sacris litteris scripta forent. Ergò Tradi-
tio eandem habet auctoritatem ac S. Scrip-
tura.

Conclusio Tertia.

Traditiones divinæ sunt ne- 30.
cessariæ ad
fidem Stabiliendam.

Prob: Conclusio 1o ex S. Scripturâ, et
quidem iisdem omnibus textibus et senten-
tiis, quas prioribus duabus Conclusionibus
adduximus. Perperam enim Sacri Scripto-
res illi Traditiones divinas tantô studiô
commendassent, nisi easdem omninò ad
tuendam veram Religionem necessarias re-
putassent. frustrà, inquam, Apostolus
Timotheum suum tantô fervore ad easdem
conservandas adhortatus fuisset, nisi eas
ad fidem Christianam Stabiliendam neces-
sarias censuisset.

Pb: 2do Ex Conciliis: quæ 1o ad 31
quascunque damnandas hæreses Traditionem
velut infallibile et necessarium argumentum
adhibuerunt; prout supra Conclu-
sione primâ argumentô 2dô ab Auctori-

8
16

32. tate Conciliorum petitô luculenter demonstravimus. 2°. Ad Sacrorum librorum Canonicam auctoritatem firmandam, atque Sententiarum illis contentarum genuinum et verum sensum eruendum Traditionem necessariam duxerunt. Sic Concilium Nicænum, quamvis perpetuâ Ecclesiæ Traditione, et omnium SS: Ecclesiæ Patrum qui ante illud scripserant, sententia "Arium" damnarit, ut auctor est Athanasius in suis passim Apologeticis; tamen etiam Scripturarum testimonio usum est, sed ad Traditionis normam expensarum, ut testis est Theodoretus*.

Hist. l. 1. c. 8.

Sic Concilium Romanum sub Gelasiô Papa I. Sacrorum librorum Canonem nonnisi ex Traditione definivit; quemadmodum et Concilium Florentinum sub Eugeniô Papa IV. ut nihil de Conciliô Tridentinô dicamus. Vide, quæ cit. loc. disseruimus.

32. Prob. 3tio auctoritate Summorum Pontificum. Præter ea testimonia, quæ prioribus duabus Conclusionibus ex iis adduximus 1°. S. Stephanus Papa I. Sanctum Cyprianum ejusque asseclas rebaptizantium erroris sectatores alio efficaciori argumentô non putavit esse convincendos, quàm Traditionis Divinæ et Apostolicæ oppositione: Nihil innovetur, inquit in suâ ad S. Cyprianum Epistolâ, nisi quod traditum est.

2°. Innocentius Papa I. Epistolâ ad Exuperium, aliam Canonis Sacrorum

librorum à se juxta ipsius petitionem stabiliti 33.
rationem non dedit, nisi Traditionis antiqui-
tatem. Epistolâ quoque ad Decent. c. 3.
parvulis confirmationem esse conferendam
Traditione demonstrat.

Pb: 4to. auctoritate Patrum, quorum 33.
effata prioribus Conclusionibus jam protulimus,
et quæ Traditionis divinæ necessitatem, non
minus, quàm ipsius existentiam demonstrant.
Insuper inter Græcos 1o. Origenes, ex tra-
ditione, inquit*, accepi de quatuor Evan-
geliis, quæ sola in universâ Dei Ecclesiâ
citrâ controversiam admittuntur.

* apud Euseb. hist. l. 6. c. 25.

2o. S. Irenæus lib. 3. c. 2. docet, hæreti-
cos non posse convinci ex Scripturis. Cap. 3.
et 4. verò ait, non aliam esse viam perveni-
endi ad veritatem, quàm consulendo Ecclesias,
in quibus est Successio Episcoporum ab Aposto-
lis, et considerando quid ibi doceatur, et
quam dicant illæ Ecclesiæ esse traditionem Apos-
tolicam.

3o. S. Epiphanius Hæres. 61. Oportet, in-
quit, et Traditione uti; non enim omnia
à divinâ Scripturâ accipi possunt.

4o. Serapion Episcopus Antiochenus
apud Eusebium* his duabus regulis usus est
ad examinandum, utrum Evangelium Pe-
tri nomine inscriptum Canonicum sit necne,
indagavit scilicet, 1o. an communi Ecclesiæ fi-
dei non sit contrarium. 2o. an in Traditio-
ne fundetur. Ideo igitur illud rejicit, quia,
inquit, compertum habemus illud à Majori-
bus nos minimè accepisse. Item, quia de-

* hist. l. 6. c. 12.

Prima I.s. pag 17

34. prehendimus multa quidem in eo Evangeliô cum rectâ Servatoris nostri fide consentire, nonnulla verò discrepantia à rectæ fidei ratione adjuncta esse.

5.to S. Athanasius lib. de Decretis Nicænæ Synodi contra Eusebium: Ecce, inquit, nos quidem à Patribus ad Patres traditam hanc fuisse sententiam demonstravimus. vos autem ô novi Judæi ..... quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? Loquitur hic de consubstantialitate filii Dei cum Patre, quam proinde ex Solâ Traditione demonstrat.

Ex Patribus Latinis, 1.o Tertullianus lib. de præscript. c. 17. 18. et 19. totus est in probandâ Traditione adversùs Hæreticos, quòdque ipsa adeos convincendos et confundendos fortior sit Scripturâ; imò tuetur, omnem ferè hæreticorum disputationem ad Traditiones à Majoribus acceptas esse referendam, atque ex Scripturâ sine Traditione vix ullum contra Hæreticos commodum esse sperandum. Quid promovebis, inquit, exercitatissimè Scripturarum, cùm si quid defenderis negetur, aut si quid negaveris defendetur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequêris, nisi bilem de blasphematione. Ergo, concludit, non ad Scripturas provocandum est, sed ad Ecclesiam Traditionum depositariam confugiendum, ut inde veritas eruatur.

Idem Tertullianus Lib. 4. adv. Marcion. c. 4. ubi Evangelium Lucæ à Marcione corruptum asserebat, hic verò illud velut verum hujus Evangelii exemplar a se prolatum tuebatur; ex Solâ Traditione hanc contro-

versiam Divinendam censet: Ego, inquit, meum dico verum, Marcionis Suum; Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos Determinabit, nisi temporis ratio prescribens ei auctoritatem, quod antiquius reperietur; et ei præjudicans vitiationem, quod posterius revinceretur..... Si autem, pergit c.s. id verius, quod prius; id prius, quod et ab initio; ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacrosanctum.

Ibidem c. 2. Si, inquit, Sub ipsius Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem Singularitas instrumenti Destituta patrocinio antecessorum. Ergò Tertullianus ex Solis Traditionibus genuinam S. Scripturam probandam esse censuit.

2°. S. Hilarius*, ideo Traditionem contra Hæreticos adhiberi debere contendit, quòd malus Hæreticorum sit, qui se, Secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, non mentiatur. * lib. ad Constant. Imp. Arian.

3°. S. Augustinus lib. ii. cont. Faustum Manichæum, qui nihil divinum in S. Scripturâ admittebat, quàm quod ipsi placebat, hæc loquitur*: Tu es ergo regula veritatis? quid quid contrà te fuerit, non est verum? quid ages, quò te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem citabis? Vides in hæreve, quid Ecclesia Catholica valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succe- * c. 2.

36. Dentium sibimet Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. Ergò juxtâ S. Augustinum, ut S. Scripturæ libri alicujus veritas et vetustas comprobetur, ad Traditionem Ecclesiæ Catholicæ confugiendum est.

Eam sententiam suam confirmat lib. 33. contra eundem Faustum c. 6. his verbis: Platonis, Aristotelis, aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi temporum sibimet succedentium contestatione continua? Ergò à fortiori, libros Canonicos eorum esse sacrorum Scriptorum, quorum nomina præferunt, omnium sibi in Ecclesiis succedentium Episcoporum contestatione continuâ novimus.

Denique lib. 2. de Doctrinâ Christianâ c. 8. hanc regulam tradit ad dignoscendum, quinam libri tanquam Canonici sint suscipiendi: Tenebit, inquit, hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, graviorésque accipiunt eis, quas paucíores minorísque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Ergò, juxtâ mentem S. Augustini, ad Ecclesiarum Traditionem confugiendum, ut dignosci possit, quinam S. Scripturæ Libri pro Canonicis sint habendi.

4.to Vincentius Lirinensis, in suo Commonitorio, ideò Traditionem necessariam esse statuit, quia, inquit, S. Scripturam non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia, aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines tot sententiæ hinc erui posse videantur.

Prob. 5.to Ratione Theologicâ. 1.o Sine 37.
Traditione divinâ seu Apostolicâ non possunt 34.
discerni libri Sacri et à Spiritu Sanctô Prophetiis Scriptoribus inspirati à profanis, iisque, qui humanis duntaxat viribus exarati fuerunt. Ergò in Ecclesiâ necessaria est Traditio divina, cujus depositaria est Ecclesia Catholica.

Pb: ant. Si Libri Sacri à profanis citra hujusmodi Traditionis usum secerni valerent, vel id præstaret ipsa S. Scriptura, vel criteria seu indicia, quæ in ipsâ reperiuntur; vel denique Spiritus privatus. Atqui neuter horum hoc præstat. Ergò adhuc requiritur necessario Traditio divina seu Apostolica.

Major est adversariorum. Minorem jam suè probavimus in Tractatu de Scripturâ Sacrâ part. 1. c. 5.a quod vide. Ergo p. *De Canon. Script.

Confirmatur argumentum nostrum 1.o Ipsimet adversarii nostri videntur coacti admittere Traditionem divinam ad probandam veteris Testamenti librorum divinitatem. Ideò enim eos tanquam Canonicos recipiunt, quia Judæorum Synagoga tradidit, eos ab auctoribus à Spiritu Sanctô afflatis conscriptos esse. Ergò à fortiori libri, quos velut Canonicos recipimus, ideo Sacri et à Spiritu Sanctô dictati censendi sunt, quia ex Traditione divinâ eos ut tales reputat et definit Ecclesia.

Confirmatur 2.do Evangelii S. Matthæi, quod, prout ostendimus in Tract. de S. Script. part. 2. c. 1. atque universa testatur Antiquitas, ab ipso linguâ Hebraïcâ seu Syriaco-Chaldaïcâ conscriptum est, nonnisi græca versio superest, quæ autographi loco est.

38. Atqui hanc, quam præ manibus habemus, et quâ hactenus usa est Ecclesia, et ad quam vulgata nostra latina editio efformata est, græcam Versionem præ cæteris, quas, teste Papiâ S. Joannis Apostoli discipulô, quisque pro suo genio et prout potuit, adornavit, authenticam esse solâ divinâ et Apostolicâ Traditione ab Ecclesiâ ad nos usque delatâ novimus. Ergò necessariò est admittenda hujusmodi traditio.

Pb. 2.do Sine Traditione hujusmodi non potest probè intelligi S. Scriptura. Ergò pb. ant. S. Scriptura plerumque est obscura atque in varios sensus trahi potest, prout in Soepè dictô Tract. de S. Script. part. 1. c. 6. insinuavimus et demonstravimus. Ergò ad assequendam illius intelligentiam verumque ac genuinum sensum necessaria est Divina seu Apostolica Traditio hactenus in Ecclesiâ incontaminatè custodita, quæ illam clarè explicet, nullumque circa germanum illius sensum relinquat dubium. Aliàs contentionis textuum illâ contentorum nullus erit finis, fidesque et Religio in chaos abibit, ubi nempe quivis privatus, rejectâ sacrâ hâc Traditione, pro lubitu et geniô suô sibi eam interpretabitur, peculiaremque sensum illius effinget.

Pb. 3.tio Plura fide divinâ credimus, quæ nonnisi per Traditionem demonstrari possunt, quemadmodum suprâ Conclusione primâ demonstravimus; ut consubstantialitas filii Dei cum Patre; nomen Deiparæ &c. quippe quæ in S. Scripturâ clarè non contineantur. Ergò ad fidei integritatem necessaria est Traditio divina &c.

Pb. 4.to Sine Traditione fidei contro- 39.
versia finiri, hæresesque profligari non possunt.
Ergò p. Pb. ant. Si sine Traditione fi-
dei controversia finiri, hæresesque pro-
fligari possent, tunc id sola Scriptura
præstaret. Atqui id hæc non præstat.
Ergò p. Major est Adversariorum.
Minor probatur. litigantes, pro suâ quis-
que opinione, eam interpretantur et ex-
ponunt, atque omnes Hæretici idem ad
suas partes trahunt, sicque litium nullus
finis. Ergò alia adhuc via inquirenda,
quâ lites finiantur, hæresesque confun-
dantur. Hæc autem alia profectò non est,
quàm Traditionis divinæ seu Apostolicæ
auctoritas, quâ controversi S. Scripturæ
textus et sententiæ planæ fiunt et claræ,
et quâ semel oppositâ omnes conticescunt;
dum autem è contrà Scripturæ textibus in
utramque partem adductis, lites duntaxat
augentur, non finiuntur. Id ultro agnos-
cunt nostræ ætatis Acatholici saltem,
qui inter illos sunt doctiores et perspicaciores,
unde auctor Præfationis in Historiam
Criticam Veteris Testamenti Richardi
Simonii Hollandus Calvinista candidè fa-
teri cogitur, sine Traditione impossibile
esse, solidè objectionibus Socinianorum res-
pondere.

Pb. 5.to Illi meritò repellendi sunt
et contemnendi, qui in re magni momenti
et fidei, ad tuendam opinionem suam, om-
nium antiquorum et ab Ecclesiâ primo-
rum etiamnum Sæculorum damnatorum
Hæreticorum argumenta planè adoptant,

40. et proferunt. Atqui hoc faciunt idi, qui rejectâ Traditione ad Solam Scripturam provocant. Ergò repedendi sunt et contemnendi. Major est aperta. Min. prob. omnes antiqui et ab Ecclesiâ damnati hæretici hôc duntaxat argumentô errores suos tuericonabantur, ut videlicet rejectis traditionibus ad Solam Scripturam provocarent; prout de Valentinianis, Marcionistis et similibus testantur S. Irenæus lib. 3. c. 2. et Tertudianus de præscript. Donatistis Solam Scripturam urgentibus S. Augustinus traditiones, et Ecclesiæ consuetudinem objicit, lib. de unit. Eccles. c. 19. et alibi. Arianos nudô modô quidquam præter Scripturas admisisse testatur Hilarius, qui in librô contra Constantium Imperatorem introducit Arianum dicentem: Volo verba, quæ non scripta sunt, legi. Maximinus Arianus apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum in principio sic ait: Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus, hæ voces verò, quæ extrâ Scripturam sunt, nudô casu à nobis suscipiuntur. Idem testatur Epiphanius hæres. 69. et 73.

Aërianos quoque traditiones rejecisse scribit idem Epiphanius hæres. 75. Idem de Eunomianis patet ex Basiliô, lib. de Spiritu S. c. 27. et 29. Idem de Nestoriô, Eutychete, Dioscorô, refert Basilius Ancyranus Episcopus in confessione Catholicâ, quam recitavit in Septimâ Synodô act. 1a.

Idem de sui temporis hæreticis, qui Apostolici nuncupabantur, refert Bernardus hom. 66. in Cant. Idem denique memorat de Joanne Wiclefo Thomas Waldensis lib. 2. Doctrinæ fidei antiquæ c. 19.

Ergò qui rejectâ Traditione ad Solam Scripturam 41
in quæstionibus fidei provocant, antiquorum Hæreticorum argumenta adoptant et proferunt. Adeoque repellendi sunt et contemnendi ꝑ.

Solvuntur Objectiones, adversùs positas Conclusiones.

Expositâ divinarum Traditionum veritate, auctoritate et necessitate, superest, ut, quæ hic objiciunt adversarii, modò exhibeamus et diluamus. È triplici potissimùm locô sua etiamnum repetunt argumenta, videlicet ex Scripturis; Patribus; et rationibus. Atque primum in eo occupantur, ut quosdam duntaxat textus, nam plerosque ultrò nobis dimittunt, sive ex S. Scripturâ, sive ex SS. Patribus à nobis in sententiæ nostræ firmamentum adductos, sinistris quibusdam ac vanis interpretationibus depravent, ut sic eos infirmare saltem velle videantur: tum iis alios opponunt, quibus deploratam sanè causam suam fulcire conantur. De Conciliis verò apud ipsos altum silentium; hæc enim clariùs et distinctiùs rem definiunt, quàm ut quidquam iis opponi possit. Denique, quia videri volunt, se, non secus ac nos, ratione pugnare, nostris à ratione petitis argumentis, alias rationes opponunt. Sed utrobique infelici successu prout nox patebit. Discutienda ergo primùm sunt ea, quæ ex Scripturis ab ipsis proferuntur, tum ea, quæ ex SS. Patribus adducunt; ac denique ipsorum futilibus et inanibus rationibus obviandum.

Ob. 1º Textus Joan. 16. v. 12. ubi Christus ad suos Discipulos ait: Multa habeo vobis 35.

31

42. dicere, sed non potestis portare modò nihil juvat Traditionis sententiam. Enimverò multa hæc Christus postea Discipulis suis "dixit", hi ea scripto consignarûnt. Ergò hic perperam pro eâ asserendâ adducuntur.

Resp. neg. ant. Ida multa equidem Christus post resurrectionem suam haud dubiè Discipulis suis dixit, cùm nempe, prout S. Lucas testatur*, per quadraginta dies apparens eis de regno Dei locutus est. At, ut suprà jam annotavimus, de gestis et verbis Domini, post resurrectionem suam, paucissima scripserunt Evangelistæ, prout eorum Evangelia legenti patet. Non autem ullô modô credi potest, Apostolos, qui ida viderant, et audierant, non ea Ecclesiis tradidisse; nec enim invidi aut obliviosi erant, ut nollent aut non possent ea dicere.

* Act. c. 1. v. 3.

36. Ob. 2do Quamvis dicat Joannes in fine sui Evangelii*, Non singula scripta esse, quæ Jesus fecit; inde tamen non sequitur non omnia et singula necessaria scripta fuisse. Ergò textus iste Joannis supra à nobis adductus nihil prodest ad asserendam Traditionum divinarum sententiam.

* c. ult. v. 25.

Resp. neg. sequelam antecedentis. Multa necessaria et fide divinâ credenda scripta non esse suprà conclusione 1mâ et 3tiâ in argumentis à ratione petitis demonstravimus; præsertim ea quæ Sacramentorum institutionem spectant.

37 Ob. 3tio Nec traditionis sententiam fulcit, quod Paulus ad Thessalonicenses scribit*, ut nempe teneant traditiones, quas didicerant sive per sermonem, sive per epistolam ipsius. Nam Apostolus loquitur de iis, quæ priùs sermone, deinde episto-

Stimm 247

* 2. Thessal. c. 2. v. 14.

là seu Scriptô tradiderat. vel loquitur de Ser- 43.
mone, quem ore pronuntiaverat, et quem ipse
non Scripserat, sed qui tùm Scriptus erat,
vel postea Scriptus fuit ab Evangelistis. Ergo.

Resp. neg. seq. ant. Hæc perperam
ab Adversariis proferuntur, et sine ulla veri
Specie; necnon ridicula omninò est illorum
expositio. Nam quantùm ad primum, par-
ticula disjunctiva Sive apertè indicat,
diversa esse, quæ tradiderat et Scripserat
ipsis. Et si ita esset, ut pertendunt Ad-
versarii, deberet una epistola ad Thessa-
lonicenses continere omnem doctrinam,
quam Apostolus illis prædicaverat; sine
dubio autem totum Evangelium illis præ-
dicaverat, ut colligitur ex c. 1. v. 5. et c. 2. v. 2.
prioris epistolæ: deberet igitur illa episto-
la complecti totum Evangelium; non au-
tem continet centesimam partem, ut patet.

Quantùm ad secundum verò, illius fal-
sitas vel ex eo patet 1.º quòd hoc ipso capite
Apostolus dicat, se illis prædicasse de Anti-
christo, et præter alia docuisse, quando esset
venturus. Hoc autem nusquam Scriptum
est, quando scilicet venturus sit Antichris-
tus, seu filius perditionis. 2.º Sive
Scripta postea fuerint sive non, quæ Apos-
tolus Thessalonicenses docuerat, non mul-
tum interest. Nam non promittit, se, vel
alium ea Scripturum, quæ ore tradiderat,
sed simpliciter præcipit, ut non minùs
observent ea, quæ acceperant sine Scriptô,
quàm quæ per epistolam.

Ob. 4.to Deuteron. c. 4. v. 2. hæc legun- 38.
tur: Non addetis ad verbum quod vobis
loquor, nec auferetis ex eo. Ergo

44. Scriptura Traditionem rejicit omnem, ut pote Verbo Dei additam.

Resp. neg. cons. 1.° quia ibi solùm prohibetur, ne quid addatur verbo Dei; Traditio autem divina non est quid Dei verbo additum, sed est ipsum verbum Dei non scriptum quidem, sed traditum. 2.do quia ibi solùm prohibetur, "ne quidpiam verbo Dei addatur, per quod corrumpatur, immutetur vel impugnetur; at verò per Traditionem divinam non corrumpitur aut impugnatur Verbum Dei, sed potius explicatur, et defenditur, cùm Traditio divina pariter sit verbum Dei; et verbô Dei ipsum Dei Verbum non corrumpatur, aut impugnatur, sicut sæpè impugnatur per varias et superstitiosas hominum traditiones; quales erant olim nonnulla Judæorum et Gentilium humanæ traditiones, de quibus dicitur Matth. c. 15. v. 6. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Et ibid. v. 9. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Et ad Coloss. c. 2. v. 8. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum. Quibus et aliis similibus locis non repudiantur Traditiones divinæ, sed humanæ verbo Dei contrariæ.

39. Ob. 5.to Christus nunquam ad traditiones provocat auditores suos, ut edoceantur veritates ad salutem necessarias, sed semper ad Scripturas. ut, Luc. 24. Discipulos suos instituit ex Scripturis. Item Joan. 5. v. 39. ait: Scrutamini Scripturas, et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Ibid. v. 46.

Si crederetis Moysi, inquit, crederetis forsitan 45.
et mihi, de me enim ille Scripsit; si autem
illius litteris non creditis, quomodò verbis meis
credetis? Ergo &c.

Resp. Ideo in his locis Christus ad Scriptu-
ras mittit Phariseos, quia illæ clarè indicabant,
ipsum esse verum Messiam; non verò quòd
judicaverit, Solas Scripturas esse unicam fidei
regulam; nec ad eam quidquam traditiones Ova 16
confere.

Ob. 6.to Paulus Galat. c. i. v. 8. expressè 46.
dicit: Licet nos aut Angelus de cœlo evangeli-
zet vobis, præterquam quod evangelizavimus
vobis, anathema sit. Et infrà: Si quis evan-
gelizaverit vobis præter id, quod accepistis,
anathema sit. Ergo ex mente Apostoli,
præter Evangelium nulla admittenda Tradi-
tio.

Resp. con. ant. neg. cons. Ratio est
1.o quia Traditio Divina non est præter id
quod evangelizavit Apostolus, sed potiùs
è contrà, est de his, quæ evangelizavit,
ut ipsemet declarat Thessal. c. 2. v. 14 his ver-
bis: Tenete traditiones &c. Immò verbum
evangelizare potiùs id significat, quod verbo
tantùm, quàm quod scripto annuntiatur.
Undè anathema potiùs illi, quisquis sit, qui
Traditiones omnes rejiciendas esse docet, mi-
natur Apostolus, quia talis præter id, quod
Paulus evangelizavit, evangelizat. 2.o
Quia ibi solùm vetat evangelizare Paulus
id, quod est Evangelio, quod ipsis tradiderat,
repugnans sive contrarium; particula enim
præter ibidem idem significat ac contrà,
prout patet 1.o quia Apostolus ipse postmo-
dùm multa alia docuit: et post hanc episto-
lam Joannes Apocalypsim et Evangelium

46. suum scripsit. 2°. Ex proposito Apostoli, agit enim hic contra eos, qui docebant, servanda esse legalia, cùm ipse docuisset ea non esse servanda; igitur cùm dicit præter, intelligit contra. 3°. Quia alibi, nempe Rom. ult. v. 17. eodem sensu exprimitur vox præter. Ut observetis, inquit "Apostolus" eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt. Ubi adeò clarum est præter significare contrâ, ut Erasmus verterit contrâ. In utroque autem locô textûs græci est vox παρα.. 4to Quia illam sensû nostrô exponunt SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Augustinus contra faustum l. 17. c. 3. et tract. 98. in Joan.

41 Ob. 7mo 2. Timoth. c. 3. v. 16. dicit Apostolus: omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. ubi vox utilis non debet intelligi, prout opponitur necessario aut sufficienti, sed quatenus dicit medium omninò necessarium ad perficiendum hominem; quemadmodùm cibus dicitur utilis ad alendum hominem, cùm tamen sit medium necessarium ad conservationem vitæ hominis. Ergò traditiones sunt superflua.

Resp. neg. sequel. ant. utpotè, quæ nullo sive auctoritatis, sive rationis argumentô fulciatur. Profectò aliud est, quòd scriptura sit utilis ad docendum pd, aliud quòd se solâ sufficiat. Et quantumcunque daremus, vocem utilis significare necessarium, nusquam tamen probabunt adversarii, eam significare sufficiens; sicut, ex eo, quòd cibus sit necessarius ad vitam sustentandam,

ut adversariorum comparatione utamur, eam- 47
que in illos retorqueamus, non rectè tamen
infertur, eum ad id solum sufficere, potus enim
æquè necessarius est. Dicimus ergo, Scriptu-
ram esse utilem, imò si velis, necessariam
ad docendum ꝑ; at negamus eâ solâ veri-
tates omnes revelatas et ad stabiliendam
fidem nostram necessarias contineri.

Ob. 8vo 1. Joan. c. 1. v. 3. Quod audivi- 42.
mus, inquit Apostolus iste, quod vidimus ocu-
lis nostris, annuntiamus vobis. Atqui S. Joan-
nes omnia fidei dogmata à Christô percepit.
Ergò et ea annuntiavit; et quidem scripto,
adeoque superfluæ videntur, ex sententiâ
S. Joannis, traditiones quæcunque.

Resp. Dist. Maj. seu textum, quod
audivit et quod vidit annuntiavit S. Joannes
vel scripto, vel vivâ voce, conc. scripto tan-
tùm, neg. maj. et conc. min. sub eadem
distinctione neg. cons. et illatum. Veritas
Responsionis nostræ vel ex eo patet, quòd
idem Apostolus longè post hanc suam Episto-
lam Evangelium suum scripserit; certum
autem sit, in eâ exiguam duntaxat fidei dog-
matum, quæ à Christo audiverat, contineri;
imò tùm hic tùm in suô Evangeliô plura dogma-
ta omisit, quæ apud alios S. Scriptores Novi
Testamenti leguntur. Sensus ergò adducti
textûs iste est. Quod vidimus ꝑ idest, nihil
vobis annuntiamus, quòd ipsi non viderimus
aut audiverimus.

Ob. 9no Apocalyp. c. 22. v. 18. dicit Apos- 43.
tolus Joannes: Si quis apposuerit ad hæc, appo-
net Deus super illum plagas scriptas in libro
isto. Atqui traditiones sunt quid appositum
verbo Dei scripto, seu Scripturæ. Ergò illas vetat
S. Joannes.

43. Resp. ineptè omninò hic contra traditionum sententiam adduci istum Apocalypsis textum. Nam certum est, Joannem peridum prohibere duntaxat hujus Apocalypseos libri hi "corruptionem, "non autem, ne alii scribantur, aut alia adhuc praeter ea, quae in eo continentur, dogmata vel à se vel abalis tradantur, alioqui ipse secum pugnaret, quippe qui, prout ipsimet fatentur adversarii*, post Apocalypsim Evangelium suum scripserit. Equidem nos ipsi tuemur non licere Verbo Dei scripto aliquid apponi vel addi, per quod corrumpatur vel impugnetur; non verò, quo potiùs explicetur et defendatur, prout praestat traditio.

* vid. Chemnit. in exam. pag. 202.

44 Ob. 10mo Joan. 20. v. 30. Multa quidem inquit Evangelista, et alia signa fecit Jesus.... quae non sunt scripta in libro hoc: haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Ergò Joannes, quamvis non omnia, saltem ea scripsit, quae sufficerent ad credendum et vitam aeternam consequendam. adeoque praeter ea nihil ultra quaerendum. Ergò superfluae sunt traditiones.

Resp. neg. conseq. et quod ex eâ infertur. Joannes hoc locò nonnisi de signis seu miraculis Christi loquitur, dictque se non omnia, sed tantum aliqua scripsisse, quod ita sufficerent ad persuadendum mundo, Christum esse filium Dei. Perperam ergò ea, quae de solis Christi miraculis hic eloquitur Evangelista, ad omnia fidei dogmata, morumque praecepta transferunt adversarii. Praeterea Joannes non loquitur nisi de rebus à se scriptis, ut ipsemet his verbis apertè declarat: quae non sunt scriptà in libro hoc. Ergo si ea sola sufficiunt,

Superfluæ, non secus ac ipsa traditio, erunt omnes aliæ Scripturæ aliorum Apostolorum et Evangelistarum. Quæ autem adduntur, hæc autem Scripta sunt &c, profectò non significant, Signa sola sufficere nobis ad salutem, sed illa ad eam adipiscendam referri et ordinari tanquam media requisita, quamvis sola non sufficiant. 49.

Ob. 11.mo Scripta illa Ignatii Martyris, quibus traditiones Apostolorum eum adnotasse scribit Eusebius, nusquam extant. Ergò perperam à nobis illorum auctoritas pro sententiâ nostrâ adducitur. 45.

Resp. 1.o trans. ant. neg. conseq. Etsi enim daremus, illa S. Ignatii Scripta non amplius extare; sufficit tamen, illa aliquando extitisse, prout expressis verbis testificatur Eusebius loc. sup. conclusione 1.ma cit.

Resp. 2. neg. ant. Scribit enim post Eusebium Hieronymus*, Ignatium scripsisse Epistolam ad Ephesios, Magnesianos, Tradianos, Romanos, Philadelphienses, Smyrnenses, Polycarpum; quæ omnes nunc adhuc extant, et in quibus invenimus jejunium Quadragesimæ, ordines minores, Diem Dominicum, et alia, quæ non sunt in Scripturis exarata, et tamen ab Apostolis sine dubiô Ignatius didicit. * De vir. Illust.

Ob. 12.mo Libri, qui nomine Dionysii Areopagitæ circumferuntur, non sunt ipsius, ergo frustrà hû illius auctoritas obtruditur. 46. ~~Prima~~ ~~Hic~~ ~~Pag. 25~~ Eva pag. 27

Resp. 1.o neg. ant. Profectò enim hæc opera sub nomine Dionysii Areopagitæ citantur in VII. et VIII. Synodis Generalibus; item à Gregorio I. in hom. de centum ovibus. à Martino I. in Conciliô Romanô; et ab Agathone

50. in Epistolâ ad Constantinum Imperatorem.

Resp. 2. trans. ant. neg. cons. Enimverò ex adductis Synodis et Pontificibus, saltem fateri coguntur Adversarii, hunc auctorem ante annos plusquam mille et ducentos scripsisse, proinde haud contemnendum esse.

49. Ob. 13tio S. Irenæus lib. 3. c. 1. Non enim per alios, inquit, dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postèa verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt. Ergò omnia, quæ prædicaverunt Apostoli, ex sententiâ S. Irenæi, eadem et scripserunt.

Resp. neg. cons. Nam S. Irenæus non dicit hic, Apostolos, quidquid prædicaverunt, scripsisse, seu nihil prædicasse, quod non scripserint, sed tantùm Evangelium, quod prædicaverant, eos litteris mandasse, quod verum est, et non contra nos.

48. Ob. 14to Necesse nobis est, inquit Origenes Hom. 1. in Jerem. Scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri, et enarrationes sine his testibus non habent fidem. Ergò juxta illum omnia sunt Scripturæ testimoniis confirmanda, neque locum habet Traditio.

Resp. neg. cons. Loquitur hic Origenes de obscurissimis quæstionibus, quales plerumque illæ non sunt, quæ Traditionis ~~testimonium~~ in totâ Ecclesiâ recepta habent testimonium. Alibi enim diserte asserit*, plurima in Ecclesiâ servari, et ab omnibus necessariò servanda esse, de quibus nulla in Scripturis extant testimonia.

* Hom. 9. in Num.

49. Ob. 15to Constantinus Imperator in Concilio Niceno hæc eloquitur*: Evangelici

* apud Theodoret. lib. 1. Hist. c. 7.

et Apostolici libri, et antiquorum Prophetarum 51.
Oracula planè instruunt nos, quid de rebus Divinis Sentiendum sit. Proinde hostili positâ discordiâ, ex verbis divinitùs inspiratis humanus quæstionum explicationes. Ergò &c.

Resp. hoc testimonium tanti faciendum non est. Erat enim Constantinus Imperator, non Ecclesiæ Doctor. Neque adhuc, prout nostri ævi eruditi ferè omnes volunt, baptismum susceperat, ac proinde Religionis arcana nondum noverat.

Verùm admissâ etiammum Constantini autoritate, dicimus, eorum dogmatum, quæ ad naturam Dei, de quâ in memorato Concilio quæstio versabatur, pertinent, extare in Scripturis testimonia, nosque posse circà ea plenè instrui ex Scripturis rectè intellectis: verumtamen sensum earum pendere ex Traditione Ecclesiæ non Scriptâ. Unde Theodoretus, postquam hanc Imperatoris istius orationem retulit, addit*, prolatas fuisse utrimque Scripturas, et cùm ex iis non convincerentur Ariani, eo quòd easdem aliter exponerent, quàm Catholici, damnatos eos fuisse ex Sermonibus non Scriptis, piè tamen intellectis, cui damnationi Constantinus assensit. * lib. 1. c. 8.

Ob. 16to S. Athanasius libro cont. Gentes, sive Idola, in ipso initio: Sufficiunt, inquit, Sanctæ ac divinitùs inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis. Ergò &c. 50.

Resp. neg. ant. Nam huic S. Athanasii sententiæ vocem Omnem de suo addiderunt adversarii, solumque ait Athanasius Scripturas sufficere ad veritatis indicationem duntaxat. Loquitur enim ibi non de omnibus dogmatibus, sed solùm de duobus,

Prima K.K. pag 25

52. quæ sunt argumenta duorum librorum, quos ad Macarium scribit; videlicet, quòd idola non sint Dii, et quòd Christus sit verus Deus, et similiter homo, quæ duo expressa habent in Scripturis testimonia. Addit præterea, Scripturas quidem sufficere ad indicationem veritatis horum duorum dogmatum, tamen non sine explicatione Sanctorum Patrum, quorum libri cùm non facilè ab omnibus haberi possint, dicit, se velle scribere de his rebus, quid à Majoribus ipse didicerit.

51. Ob. 17mo S. Basilius, serm. de fidei confessione hæc eloquitur: Infidelitatis argumentum fuerit, et signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non scripta sunt, introducere. Ergò &c.

Resp. neg. cons. S. Basilius hic loquitur de illis, qui ad Scripturæ dogmata addunt aliqua alia contraria et aliena, Scripturisque repugnantia et ~~inepta~~, vel ex suo capite et geniò fingunt traditiones iis contrarias, quas ab Apostolis per successiones Episcoporum Ecclesia accepit. Nam in eodem sermone ait, se contrà hæreticos disputantem sæpè usum esse sermonibus non scriptis, seu traditione &c.

52. Ob. 18vo S. Chrysostomus 1. hom. 49. in c. 24. Matth. Sciens Dominus, inquit, magnam confusionem rerum futuram in novissimis diebus, ideò mandat, ut Christiani volentes firmitatem percipere veræ fidei ad nullam aliam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, et peribunt, et incident in abominationem desolationis. 2o. Hom. in Psalm. 95. circ.

cà finem: Liquid dicatur, inquit, absque Scripturâ, auditorum cogitatio claudicat, et nunc annuens, nunc hæsitans: verum ubi ex Scripturâ divinâ vocis prodit testimonium, et loquentis sermonem, et audientis animum confirmat. 3°. Hom. 13. in 2. ad Corinth. Cùm, inquit, habeamus omnium exactissimam trutinam, gnomen, et regulam, divinarum legum assertionem, oro vos omnes, ut relinquatis, quid huic, vel illi videatur, et de his à Scriptoris hæc omnia inquirite. 4°. denique Comment. in cap. 22. Matth. Quidquid, ait, quæritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis. Ergò ex sententia S. Chrysostomi semper soli Scripturæ adhærendum, nihil verò Traditioni tribuendum sed.

Resp. neg. cons. et ad singulos textus; et quidem, ad primum, locus iste nihil contrà Traditionem evinit, enimverò non est S. Chrysostomi, sed Autoris operis imperfecti, qui vel fuit Arianus, vel cujus opus ab Arianis saltem multis in locis fuit depravatum. Nam hom. 48. hæreticos vocat homousianos seu illos, qui filium Dei Patri consubstantialem esse tuentur, et hom. 49. contra eosdem fère semper loquitur: undè locus adductus tanquam ab Arianis insertus ab omnibus emendatis codicibus sublatus est. Verum datò etiam hæc hunc S. Patrem eloquutum fuisse, profectò intelligi debent de Scripturis juxtà Ecclesiæ interpretationem intelectis, prout alibi multoties testatur idem S. Chrysostomus, præsertim autem Tom. 2. Hom. 44. ubi

54. de diabolo hæc ait: Scripturas divinas pravô sensu et subdolâ fraude erat interpretaturus, et pro fide perfidiam asserturus, ut simplices et incautos per divinæ legis testimonia quasi per speciem bonæ confessionis de altô præcipites daret in mortem. Sic denique multos hæreticos de altitudine catholicæ fidei in ima dejecit. Ex his S. Chrysostomi verbis apertè habetur, eum docuisse præter sacram Scripturam adhuc necessariam esse illius interpretationem, quam Ecclesia Catholica vel per divinam traditionem, vel per unanimem Patrum et Prælatorum ipsius fidelibus exponit.

Ad 2dum eadem adhibetur Responsio, quæ ad 1mum Certè cùm immediatè ante hunc textum dixerit Chrysostomus: Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solâque animi cogitatione, atque continuò subjungat: Si quid dicatur absque Scripturis subintelligere voluit, sed solâ animi cogitatione. Itaque sensus verborum ipsius is est, ut si quid dicatur ex propriâ inventione, non ita facilè id auditoribus persuadeatur, ac fieret, si quod dicitur, Scripturæ testimoniô confirmari posset. Id et nos ultrò admittimus, quin tamen inde sequatur, quod dum Scripturæ auctoritas commendatur, Traditio simul sit contemnenda.

2da pag. 26

Ad 3tium Resp. Hic S. Chrysostomum non loqui de obscuris fidei aut morum dogmatibus, sed de opinione carnalium, qui anteponunt opes paupertati, cùm Scripturæ apertissimè doceant, paupertatem longè esse utiliorem ad salutem. Itaque hôc locô nihil aliud dicit, quàm magis credendum

esse Scripturis in hâc parte, quàm hominum opi- 52.
nioni.

Ad 4tum denique Resp. loqui hic S. Chrysostomum de variis remediis contrâ vitia duntaxat, atque dicere, nullum esse hominis vitium, pro quo sanandô Scriptura aliquâ non ferat remedium; at quid hoc adversùs Traditionem? Pro quâ, ut supra conclusione primâ pag. 19. argumento 4to num. 13. videre est, adeo firmiter stetit hic S. Doctor, ut eâ semel in medium adductâ, nihil amplius quari oportere voluerit. Traditio est, inquit, nihil quaras amplius.

Ob. 19no S. Epiphanius Hæres. 61. ait: 53.
Nos uniuscujusque quæstionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentiâ. Nullus hic ipsi sermo de Traditionibus ad probandam quamlibet quæstionem. Ergò p.

Resp. Non dicere S. Epiphanium se quæstionis alicujus inventionem dicere posse ex Scripturarum consequentiâ solùm, sed simpliciter ex Scripturarum consequentiâ; adeoque Traditionem non excludit, quam alibi omninò necessariam asserit, eò quòd non omnia à Scripturâ accipi possint, prout retulimus cit. arg. 4to n. 12. Conclus. 1ma.

Ob. 20mo S. Cyrillus lib. de rectâ fide ad Reginas sic ait: Necessarium nobis est, divinas sequi litteras, et in nullo ab earum præscriptô discedere. Item hom. 54.
in Levit. Ego puto, inquit, in hoc libro, duo Testamenta posse intelligi, in quibus licet omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri, et discuti, atque ex ipsis omnem

56. rerum Scientiam capi. Siquid autem superfuerit, quod non Scriptura divina decernat nullam aliam debere tertiam Scripturam ad auctoritatem Scientia suscipi. Ergò &c.

Resp. ad 1mum Non dicit Cyrillus, non licere aliquid dicere, quod in Scripturis non contineatur, sed non licere aliquid contrà Scripturas proferre. Cum autem divinas Traditiones proferimus, non utique à Scripturarum proscriptò discedimus, ut quæ in illis commendentur; at traditiones cum Scripturâ repugnantes et nos rejicimus.

Ad 2dum dicimus 1o homilias illas in Leviticum non esse S. Cyrilli, sed Origenis, vel alicujus alteriùs, qui passim litteram destruit, ut mysticos sensus ex capite suo statuat. Unde he homiliæ enigma sunt auctoritatis.

2o. Hoc loco autor iste non enuntiat verbum Dei non Scriptum, sed solùm tertiam Scripturam aliquam, humanam nempe, quæ pro divinâ venditetur.

55. Ob. 21mo Theophilus lib. 2. Paschali; Diabolici, inquit, Spiritus est, aliquid extrà Scripturarum Sacrarum auctoritatem putare divinum. Ergò ex mente Patris hujus Diabolici Spiritus est Traditionis opinio.

Resp. neg. cons. Loquitur hic Theophilus de libris apocryphis, qui pro divinis à quibusdam venditabantur. Ineptum autem est, ne dicam diabolicum, in tam gravis momenti quæstione, ea, quæ de re vinâ dicuntur, ad aliam detorquere.

56. Ob. 22do Apollinarius Episcopus Hierapolitanus apud Euseb. libro 5. Hist. c. 15. dicit, se longò tempore distulisse scribere contrà Montani hæresim, ne videretur Evangelio Dei

3
2

verbo aliquid addere velle. Ergò ex ipsius mente 57.
nihil Evangelico Dei verbo addendum est &c.

Resp. dist. cons. Nihil Evangelico Dei verbo 3lia 27
addendum est, quod ei sit contrarium, illudque impugnet; cons. quod illud firmet, tueatur et exponat neg. cons. Traditio divina Scripturam firmat, tuetur et exponit, tantum abest, ut ei sit contraria. Dixerit ergò Apolinarius contra Montanum Scribere, ne videretur aliquibus novum dogma Scripturæ contrarium asserere velle, non quod Traditionem improbarit, ut qui Montanum invelet, quòd non servaverit doctrinam, quam Ecclesia ex traditione, et Episcoporum Successione ab Apostolis acceperat. Hæc de Patribus

graeis.

Ob. 23tio Ex Patribus Latinis. Tertul- 57.
liamus lib. cont. Hermogenem: Adoro, inquit, Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est Scriptum, timeat væ illud, adjicientibus, vel detrahentibus destinatum. Ergò solam Scripturam ~~prorsus~~ omni Traditione rejectâ admittebat Tertullianus.

Resp. neg. cons. Loquitur hic Tertullianus de uno dogmate tantum contrâ Hermogenem nempe docentem, omnia, non ex nihilo, sed ex projacente materiâ fuisse creata; et quia ~~vero~~ dogma istud falsum esse ex Scripturâ manifestè constat, ut quo expressè dicat Deum omnia ex nihilo creasse, ideo ait, se adorare Scripturæ plenitudinem, quantum ad hoc dogma. Ex quo minime sequitur, Tertulliani mentem esse, quòd Scriptura sufficiat, quantum ad omnia, et rejicienda penitus sit Traditio sacra, ut qui eam totis viribus tueatur prout suprà ostendimus.

58. Ob. 24.to S. Hilarius lib. 3. de Trinit.
58. circa finem: Benè habet, inquit, ut iis tantùm, quæ Scripta sunt, contentus sis. Ergò Solâ Scripturâ contentos nos esse oportet, juxtâ mentem Hilarii, Traditio verò rejicienda est.

Resp. neg. cons. Hæc S. Hilarius ad quendam hæreticum scribit, cui prohibet, ne, quid S. Scripturæ ~~addendo vel~~ propriô suô geniô addendo vel ab eâ detrahendo, illam immutet aut vitiet; ne contigeris, inquit, ne contrectaveris, ne corruperis &c. Item: Non est autem in tantum confidendum in prudentiâ humanâ, ut perfectum se quis putet sapere, quòd sapiat &c. Totus hic ergò est Hilarius, ut adversarium suum hortetur, ne privato suo genio et spiritui fidat, neque Ecclesiæ catholicæ expositionem uspiam excludat, quam toto adversùs Arianos librô totis viribus commendat; tantùm abest ut Traditionem rejiciendam putet, ut qui ut suprâ conclusione 1.â et 3.â annotavimus eam contra hæreticos adhibendam censeat.

59. Ob. 25.to S. Cyprianus in quæstione de rebaptizandis Hæreticis rejectâ traditione ad Scripturam provocat. Ea, inquit inter alia*, facienda esse, quæ Scripta sunt, testatur Deus ..... Si igitur aut in Evangeliô præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, et actibus continetur, observetur hæc Sancta traditio &c. Ergò juxta S. Cyprianum nulla admittenda Traditio, quæ in Scripturâ expressis verbis non contineatur.

* Epist. ad Pompej.

Resp. neg. cons. Quamvis enim hic S. Cyprianus in controversiâ de rebaptizandis vel non rebaptizandis hæreticis traditioni adversari videatur, tamen alibi circa alia

fidei et morum dogmata eam ultrò adstruit, 59.
ut sup. conclus. 1.a et 3.a annotavimus.
Mirum profectò, partium Studia ipsius mentis
oculis tantum glaucoma obduxisse, ut relictâ
traditione ad Scripturam provocaverit in eâ
quæstione, quæ solâ duntaxat traditione
finiri poterat, et de quâ ipsemet opinionem
suam in solâ Ecclesiæ suæ et aliquot Asiaticarum
traditione fundabat, aut fundare poterat.
Quærebatur quippe, num hæretici ab ipsis
hæreticis baptizati et ad Ecclesiam Catholicam
revertentes denuò baptizari deberent, necne?
Primum tuebatur Cyprianus cum suâ Africa-
nâ Ecclesiâ, paucisque Orientalibus; alterum
Stephanus Papa cum reliquis totius Orbis Eccle-
siis. Certum est, hanc quæstionem ex
S. Scripturâ definiri haud potuisse, ut quæ
de ~~[illegible]~~ rebaptizatione aut
non rebaptizatione hæreticorum nec apicem
contineat: Solam igitur Ecclesiæ suæ et aliquot 4ta
Orientalium traditionem obtendere poterat 28
Cyprianus. Certè erravit ipse, nec id diffi-
tentur Adversarii, eosque imitatus est, qui
cùm errores suos ultrà tueri haud possunt, à
Traditione ad Scripturas provocant, quamvis
in iis nihil offendant, quo errorem suum tuean-
tur. Istud porrò hujus S. Martyris factum
duo invicta pro sententiâ nostrâ nobis sup-
peditat argumenta. 1.num, quòd dentur
quædam etiam de fide quæstiones, quæ solâ
Traditionis auctoritate finiri possunt. 2.dum
Quòd ii in errore semper versentur, qui re-
jectâ Traditione ad Scripturas provocant.
Errorem suum correxisse Cyprianum testatur
Augustinus*, qui et lib. 5. cont. Donatist. c. 23. * Epist. 48. ad Vincent.
adductam ipsius ad Pompejum Epistolam refutat.

60. Utinam adversarii nostri illum imitentur poenitentem, qui errantem sunti sunt, atque etiam errorem suum corrigant, et emendent.

60. Ob. 26.to S. Hieronymus in c. 1. epist. ad Tit. Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem, inquit. Item in c. 23. Matth. ait: Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Et in c. 1. Aggai. Sua, inquit, absque auctoritate et testimonis Scripturarum, quasi Traditione Apostolicâ sponte reperiunt, atque confingunt, percudit gladius Dei. Denique Comment. in Psalm. 86. in illud: Dominus narrabit in Scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in eâ: Videte, inquit, quid dicat, qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quidquid postea aliud dicitur, abscindatur, non habet auctoritatem. Ergò S. Hieronymus omnem Traditionem non Scriptam rejicere videtur.

Resp. neg. cons. ad textus Resp. et quidem ad 1.um Depravatum proferri ab adversariis. Sic enim habet Hieronymus: Sine auctoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam testimoniis roborare. Non ergò vocat garrulitatem, quod profertur citrâ Scripturam, et ex Traditione. Sed dicit, homines garrulos apud nullos fidem invenire, nisi suos errores ex Scripturis confirmare nitantur: quod maximè quadrat in adversarios.

Ad secundum dicimus, illud neque fideliter prolatum esse ab Adversariis. Nam Hieronymus non dixit universaliter, Quod de Scripturis auctoritatem non habet, sed loquens de particulari quadam senten-

tiâ, quâ quidam nitebantur ex librô apocry- 61.
phô probare, Zachariam, quem Judæi occiderunt
inter Templum et Altare, fuisse Zachariam
patrem Joannis Baptistæ, ait: Hoc, quia de Scrip-
turis auctoritatem non habet, eâdem facilita-
te contemnitur, quâ probatur. Sensusque
est, quia hac Sententia probatur ex librô apo-
cryphô, non canonicô, facilè contemnitur.

Ad Tertium: Nihil hic adversùs nostram
Sententiam loquitur S. Hieronymus: Solùm enim
agit contrâ illos, qui confingunt aliquid, et
tamen videri volunt, suum figmentum esse
Apostolicam Traditionem. unde habetur,
ipsum vel hôc locô Apostolicam admittere tra-
ditionem.

Ad quartum: rejicit hic Hieronymus
ea, quæ sunt aliena ab Apostolicâ doctrinâ,
id est, contraria et repugnantia Scripturis.

Ob. 2y.mo S. Augustinus 1.o lib. 2. 61
de Doct. Christ. c. 9. In his, inquit, quæ aper-
tè posita sunt in Scripturâ, inveniuntur
omnia illa, quæ continent fidem moresque
vivendi. 2.o lib. 3. cont. litt. Petiliani c. 6. Siquis, ait, sive de Christô, sive de ejus
Ecclesiâ, sive de quâumque aliâ re, quæ per-
tinet ad fidem, vitamque nostram, non
dicam Si nos, sed quod Paulus adjecit: Si An-
gelus de cœlô vobis annuntiaverit, præterquam
quod in Scripturis legalibus, et Evangelicis ac-
cepistis, anathema sit. 3.o lib. de bo-
no Vidutatis c. 1. Quid, ait, amplius te doceam,
qu[illegible] id quod apud Apostolum legimus; Sanc-
ta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam
præfigit, ne audeamus sapere plus quam oportet.

62. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere. [4.to] Lib. 2. de peccatorum meritis et remissione c. 36. Ubi, inquit, de obscurissimâ re disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. Ergò ex mente S. Augustini sola Scriptura est fidei nostræ regula &c.

Resp. neg. cons. Ad textus dicimus ad 1mum Loquitur hic S. Augustinus de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolô Apostolicô, et in Decalogô. Unde lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. ult. Credo, inquit, quòd etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendiô promissæ salutis ignorare non posset. At præter ea multa sunt alia, quæ solâ traditione habentur, ut ex Augustinô ipso suprâ, in conclusionibus nostris, ostendimus.

Ad 2dum Illud præterquam, idem hic significare ac contraquàm. Suprâ in responsione ad objectionem sextam ostendimus ex ipso Augustinô, qui illud ita exponit lib. 17. contra Faustum cap. 3. et Tract. 98. in Joan. Sic loquitur: Non ait, plusquàm quod accepistis, sed præterquàm quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod in-

erat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, 63.
non audit in via, sed recedit de viâ, &c.

Ad 3tium Loquitur hic S. Augustinus non de omni dogmate, sed solùm de professione veritatis, quod quale bonum esset, eleganter exposuerat Apostolus 1. Cor. 4. et ideo ait S. Augustinus, satis sibi esse, si exponat verba Apostoli. Quod autem dicat: Scriptura nostra doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquàm oportet: contrà idos id ab ipso dictum, qui ex proprio judicio fingunt novas doctrinas, quæ Scripturis consonæ non sunt.

Ad 4tum Loquitur ibidem S. Augustinus de quæstionibus obscurissimis, qualem esse putabat eam, quæ est de origine animarum; ad quas definiendas non suppetunt ulla firma testimonia, sed solùm conjectura aliqua ex divinis litteris. Et nihil hoc ad Traditiones, quæ totius Ecclesiæ et omnium Veterum consensu firmatæ sunt, quod argumentum gravissimum esse postea docet S. Augustinus, cujus aliquos textus nos suprà in conclusionibus nostris retulimus, præsertim autem lib. 1. cont. Cresson. c. 43. ubi dicit, Scriptura veritatem à nobis teneri, quando facimus quod universa placet Ecclesia, etiamsi nihil de eâ Scriptum legamus.

Ob. 28vo Patres Concilii Francofordiensis 62.
celebrati an. 794. in Capitulari Caroli Magni lib. 2. c. 30. Scripturam Sacram solam esse fidei regulam innuunt his verbis: Est planè Scriptura divina verax, fina, et casta, et cælestis Magisterii instrumentum, et æterna prædicatio purissimò nitens eloquiò: est hæc mortalium dicente Prophetâ, lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis..... est tenebrarum discussio Salomone attestante,

64. qui ait, lucerna est mandatum Legis, et luxvitæ, et increpatio, et Disciplina. Ergò p.

Resp. Exigui momenti esse Patrum Francofordensium auctoritatem, ut qui Conciliabulum fecerint à S. Sede Romanâ et universâ Ecclesiâ damnatum, quamquàm nihil hîc proferant, quod sit contrâ Sententiam nostram; hæc enim epitheta Sacræ Scripturæ ultrò adaptari possunt, et tamen verùm esse, quòd Traditio sit altera fidei nostræ regula, ut patet.

Hæc sunt præcipuè, imò penè omnia quæ ex Patribus adversùs nostram Sententiam proferunt adversarii; quæ nos eâ Soliditate diluisse arbitramur; ut inde nihil commodi eis obvenire arbitremur, præsertim, cùm iidem SS: Patres, quos nobis objiciunt, pro Traditione ultrò stent, prout in nostris conclusionibus abundè satis ostendimus. modò superest, ut ea, quæ à ratione adversùs nos effingunt, argumenta pari firmitate refutemus.

Cta pag. 30

63. Ob. 2g.no Etsi concederetur, quòd in primitivâ Ecclesiâ fuerint aliquæ traditiones non scriptæ, impossibile tamen videtur, eas per tot sæcula conservari potuisse incorruptas. Ergò re ipsâ nullæ dantur Traditiones. Pb. ant. Plurima hujusmodi Traditionum conservationi impedimenta obstant; oblivio scilicet, imperitia, negligentia, perversitas, quæ nunquam desunt in genere humanô. unde etiam factum videmus, ut Dogmata et Leges Lycurgi, Pythagoræ et Similium, qui docuerunt, nec sua dogmata scripserunt, penitùs interierint. Ergò p.

Resp. neg. utrumque ant. Non enim solùm non est impossibile, traditiones conservari, sed etiam est impossibile ut non conserventur, non obstante oblivione, imperitiâ, negligentiâ, et perversitate hominum. 1º. enim hac cura non hominibus præcipuè sed Deo, incumbit, quippe qui Ecclesiam regat. Sicut ergo Deus conservavit veram Ecclesiam usque ad hanc diem contra tot persecutiones Imperatorum, Philosophorum, Judæorum, hæreticorum: et sicut potuit conservare traditiones ab Adam usque ad Moysem per duo millia annorum, et deinde Scripturas Sacras à Moyse usque ad hoc tempus per tria millia annorum et amplius, ita potuit sine dubiô conservare traditiones à Christô usque ad nos per mille septingentos quadraginta quinque annos scilicet. 2º. Quia etsi traditiones nullibi in Sacris Litteris scripta inveniantur, inveniuntur tamen scripta in veterum monumentis, et libris Ecclesiasticis.

3º. Quia pleræque traditiones ab ipso Apostolorum tempore usque ad nostra hæc tempora semper fuerunt et sunt in continuâ observatione, ut ritus Sacramentorum administrandorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ, et officiorum divinorum, et alia id genus plura.

4º. Quia antiquissima monumenta ad longissimum tempus durantia, ut sunt templa vetustissima, et in iis altaria, sacri fontes, memoria Sanctorum, cruces, imagines, libri Ecclesiastici, liturgia nempe et alia similia traditionis conservationem arguunt et manifestant. 5º. Traditionem confirmarunt et adhuc confirmant Ha-

66 reses. Deus enim mirabiliter utitur hostibus Ecclesiæ ad Ecclesiam conservandam. Quia enim singulis ætatibus orti sunt novi hæretici, qui diversa dogmata Ecclesiæ oppugnarunt, ideò etiam singulis ætatibus extiterunt homines docti, qui ut hæreticis resisterent diligenter investigarunt doctrinam Ecclesiæ, et traditiones antiquas, et magnâ diligentiâ eas posteris commendarunt.

64. Ob. 30mo Scriptura est regula fidei nostræ: Ergò Traditiones non scriptæ nulla sunt.

Resp. dist. ant. Scriptura est regula fidei nostræ adæquata et totalis, neg. inadæquata et partialis conc. ant. et neg. conseq. Scriptura enim non est aliter regula fidei nostræ, quàm quòd sit verbum Dei, at Traditiones divinæ non minus etiam sunt verbum Dei, adeoque etiam non minus fidei nostræ regula. unde licèt omnia, quæ in Scripturis continentur, sint de fide, non tamen omnia, quæ de fide sunt, in ipsis continentur, sed quædam ex solâ Traditione profluunt, et habentur.

65. Ob. 31o multa incommoda secum fert Traditionum sententia. Ergò non est admittenda. Ob. ant. Per eam datur occasio multis falsis dogmatibus in Ecclesiam introducendis, ut experientia testatur. Ergò sp. Ob. ant. 1o Judæi ex traditione recepta malè explicabant locum Malachiæ, ubi dicitur, Eliam hâ prædicatione Messiæ adventum præventurum esse, cùm tamen Christus ipse eum locum non intellexerit de persona Eliæ, sed de S. Joanne Baptistâ, qui in Spiritu

Eliæ duntaxat adventum suum designaret.* 67 * Matth. c. 5.
2do. Discipuli Christi, sicut et alii quamplurimi ob traditionem receptam de regnô Christi futurô etiamnum post ipsius mortem dubitabant, annonipse redempturus esset à temporalibus malis Israël, eumque in pristinam imò majorem libertatem restituturus, ob quod duos in Emaus euntes discipulos stultos et tardos ad credendum nuncupavit. 3o. Papias S. Joannis Apostoli et Evangelistæ Discipulus etiam ex Traditione fertur docuisse, regnum Christi futurum mille annorum hû in terris post resurrectionem, cui fidem habuerunt Irenæus, Tertullianus, Lactantius, et alii*. 4o. Irenæus lib. 3. c. 39. et 40. ex traditione docet, Christum annô ætatis suæ quinquagesimô vel circiter passum esse: è contrariò autem Tertullianus lib. cont. Jud. c. 5. et Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. docent, Christum anno 30mo. ætatis suæ esse passum, quæ omnes traditiones falsæ sunt. Ergò Traditio multis erroribus et falsis dogmatibus occasionem tribuit.

Resp. 1o. Retorquendo argumentum: Multa incommoda secum fert S. Scriptura, Ergò est rejicienda. Ipsa enim occasionem tribuit non modò multis falsis dogmatibus sed et multos falsos et perniciosos libros sub titulô et specie librorum sacrorum et Canonicorum divulgandi; prout in Tract. de S. Scripturâ annotavimus.

Resp. 2do. neg. utrumque antecedens: vel dist: Et hæc incommoda, falsaque dogmata ab ipsâ Traditione profluunt, neg: ab hominum pravitate et malitiâ con. ant. et neg. cons. Profectò sicut specie S. Scrip-

Tima pag. 31

* vid. Euseb. lib. 3. hist. c. 39.

tura multi falsi et perniciosi libri tanquam Sacri et Canonici olim à perversis hominibus, et pseudo-Doctoribus in Ecclesiam introduti sunt, falsaque dogmata sparsa fuerunt, quin tamen hæc omnia veritati et auctoritati S. Scripturæ quodquam præjudicium attulerint; sic etiam falsæ quædam Traditiones fortè introduci poterunt, quin tamen veris et Apostolicis quidquam obsint noceantve. Habemus enim in Ecclesiâ viam infallibilem veras traditiones à falsis discernendi, sicut eandem habemus discernendi veras Scripturas à falsis, verumque illius sensum à falsô; judicium Ecclesiæ scilicet, quæ ob specialem Spiritûs S. Assistentiam in tali discretione errare non potest. Sicut igitur publicô Ecclesiæ judiciô nunquam receptus fuit liber aliquis apocryphus pro Canonicô, sic nec falsa traditio pro verâ.

Ad exempla, quæ ab Adversariis proferuntur Resp. ea potiùs contra Scripturam pugnare, quàm adversùs Traditiones; utpotè cum errores, quos continent, à S. Scripturâ malè intellectâ, non verò à Traditione profluxerint. Nam quoad 1mum Malachiæ 4to dicitur, Eliam venturum ante adventum seu diem Domini terribilem, idest, ante secundum Christi adventum; Judæi autem id erroneè de primô illius adventu intellexerunt. Similiterque etiam, quantùm ad secundum, discipuli Domini Scripturam malè intellexerunt, in quâ de regno Christi fit mentio; quapropter Christus verum illius sensum eis exposuit, incipiendo à Moyse et Prophetis. Ad 3tium Papias quoque mediocris ingenii vir, quod ait Eusebius*, ex malè intellectis

* loc. cit.

quibusdam Evangeliorum et Apocalypsis locis 69.
errorem suum de mille annis desumpsit, prout 9
refert Hieronymus*. Quartò denique Ire- * in cap. 49. Isa. et in c. 19. Matth.
næus ex Scripturâ probare conatur, Dominum
ad annum ferè quinquagesimum pervenisse
nempe ex illo Joannis 8. v. 57. Quinquaginta
annos nondum habes p. Tertullianus et
Clemens Alexandrinus è contrario ex solâ
Scripturâ male intellectâ nituntur probare 8va
Christum anno ætatis suæ 30mo passum esse pag 32
frustrà ergò, et temerè hæc contra Traditio-
nem afferuntur ab Adversariis.

Ob. 32do. Proprium est hæreticorum, 66.
abscondere sua dogmata, ac dicere, Christum,
et Apostolos quædam palam omnibus prædicasse
quædam occultè tantùm quibusdam tradidisse h
prout Irenæus* de Basilidianis et Carpocra- * lib. 1. c. 23. et 24.
tianis, ut et Tertullianus testantur*. Atqui * lib. de præscript.
hoc ipsum dicunt, qui Traditionem tuentur.
Ergo hæreticos imitantur.

Resp. "dist. maj. "et hoc de veris, ortodoxis et piis
dogmatibus dicebant hæretici neg. de falsis,
impiis et turpissimis mysteriis et dogmatibus
asserebant, et quidem falsò. conc. maj. et
sub eâdem distinctione minoris neg. conseq.

Hæretici sunt simiæ Catholicorum
prout ait Cyprianus ad Jubajanum, et prop-
terea volunt etiam habere sua mysteria. Dis-
crimen verò inter illorum mysteria, et nostra
illud intercedit, quòd illorum mysteria ideo
secretum postulent, quia turpissima sunt,
quorum aliqua recensent Epiphanius, et
Augustinus* de gnosticis, et Manichæis, et ideò * lib. de hæres. c. 46.
doctis hominibus duntaxat ea esse secreta vo-
lunt, imperitis autem manifesta, prout

70. ipsis exprobrant Irenaeus, et Tertullianus. At contrà, mysteria nostra, non traduntur solùm quibusdam, quia huem timeant, sed quia non est opus, ut ab omnibus sciantur vel quia ea intelligere non omnes valent. Alioqui talia sunt, ut possint publicè prædicari, cùm nihil nisi purum et castum agat Ecclesia.

67. Ob. 33tio S. Scriptura communiter in Concilijs semper in medio collocari solet: at qui id ob aliam causam non fit, quàm quòd Scriptura dignoscatur esse sola fidei regula. Ergò regula illius esse non potest Traditio.

Resp. neg. min. Nam ideo hunc locum obtinet S. Scriptura, eo quòd, quidquid definitur ibi, vel ex ipsâ confirmetur per traditionem, vel ex ipsâ Traditione ipsi non contrariâ probetur.

68. Ob. 34to et ultimò. Si Traditiones valerent, tum ideo, quia aliàs hæretici v. g. Sociniani, à catholicis, vel potiùs Protestantibus falsitatis et erroris convinci non possent. atqui falsum posterius. Ergò et prius. Pb. min. Ideò hæretici v. g. Sociniani conclusiones Catholicorum et Protestantium conclusionibus omninò oppositas ex Scripturâ deducunt, quia ipsâ abutuntur ad firmandum systema et errorem suum. Ergò ex Scripturâ ipsâ benè intelectâ, non verò per traditionem convinci debent. Pb. conseq. Ex illô convinci debent hæretici argumentô, quod Christus ipse adhibuit, ut convinceret Pharisæos, dari libellum repudii extrà causam adulterii esse permissum asserentes, et Sadducæos resurrectionem mortuorum negantes. atqui id egit ex S. Scripturâ tantùm ut habetur Matth. c. 19. et 22. Non verò

ex Traditione. unde S. Augustinus* hanc in rem apposite ait: Non natæ sunt hæreses, nisi cùm Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, et quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè asseritur. Ergò ex Scripturâ non verò ex Traditione convincendi sunt hæretici.

Resp. ad 1mum argumentum neg. min. ad illius probationem neg. secundam partem consequent. Equidem ultrò concedimus, quòd, cùm hæretici Scripturâ abutantur, eamque pravô sensu interpretentur, ex Scripturâ benè et in verô sanoque sensu intellectâ convinci debeant, at negamus, hunc verum et sanum S. Scripturæ sensum posse haberi sine Traditione, prout fusè et solidè in nostris conclusionibus demonstratum à nobis est, adeoque nec sine illâ ullô pactô posse convinci hæreticos. Id exemplô adductô Protestantium et Socinianorum illustratur. Equidem Protestantes Socinianis in crimen vertunt, quòd Scripturâ sacrâ abutantur, at vicissim idipsum Protestantibus objiciunt Sociniani. Quid modò superest prioribus, ut Socinianos confundant? fortè Scripturas proferent? Sed quid illis evincent, cùm aliter eas Sociniani interpretentur, et malè à cæteris Protestantibus intelligi tueantur? certè, ut ait Tertullianus supra laudatus, nihil hôc suô argumentô agent Protestantes, nisi ut perdant vocem in contentione; nihil consequentur, nisi bilem de blasphematione. Ergò, concludit idem Tertullianus, non ad Scripturas provocandum est, in quibus aut nulla, aut incerta, aut par incertæ victoria est; sed ad Traditionem Apostolicam

* Tract. 18. in Joan.

prima
L. t.
p. 33

72 quæ sola verum Scripturæ sensum dabit.

Ad prolatam Christi auctoritatem Respond. eam Adversariis minimè patrocinari. nam primô locô iniquam Pharisæorum interpretationem, malamque consuetudinem ex claris Scripturæ textibus, atque ex aliâ bonâ consuetudine refutavit dicens: ab initio autem non fuit sic. In 2dô autem locô, quid mirum, si resurrectionem mortuorum ex traditione Judæorum non demonstravit contra Saducæos; ipsi enim nullas omninò Traditiones admittebant. igitur solâ Scripturæ, et quidem Pentateuchi solius /: hunc enim solum velut librum divinum habebant :/ auctoritate contra ipsos uti potuit. Neque nos negamus malas consuetudines turpesq; traditiones interdum Scripturæ adminiculô contundi debere; at inde minimè sequitur, bonas et divinas Traditiones esse eliminandas.

69. Urgent Adversarii: Si Dei voluntas fuisset, ut doctrinæ istæ non scriptæ æquè sanctè conservarentur, ac illæ, quæ sunt in Scripturis, à Sanctis Apostolis illas conscribi procul dubio curasset, et non reliquisset eas ab hominibus mendacibus pro suô arbitriô scribendas. Ergò voluntas Dei non fuit, ut conservarentur; adeoque si quæ fuerunt, jam dudum interierunt.

Resp. neg. sequel. ant. Ex facto argui debet Dei voluntas, nec conquirendæ ratiunculæ, ubi, prout ait Augustinus, tota ratio facti est voluntas agentis. Voluntas Dei fuit, ut Traditiones ipsius conservarentur, quod eæ, quas hactenus retinuit Ecclesia manifestè demonstrant; voluntas etiam ejus fuit, ut ab Apostolis non scriberentur, nam re ipsâ easdem non scripserunt. Nihil amplius quæras. Et si, prout

inaptè arguunt adversarii, periculum imminet Traditionibus non Scriptis per homines mendaces, qui illas post Apostolorum tempora in Scriptum redegerunt; cur non simile periculum immineat omnibus Codicibus sacris; cùm præter unum autographum Apostolicum interim reliqua omnia exemplaria descriptâ fuerint ab hominibus, ut ipsi ajunt, mendacibus?

Caput Secundum.

Unde humana Traditio à Divinâ Secerni possit.

Traditionem sacram generatim divi- 70.
di in Divinam et humanam supra in hujus tractatûs Prologio insinuavimus; ubi et illam esse eam, quæ Deum vel Christum habet auctorem, istam verò, quæ ab hominibus profiscitur, diximus. Harum verò Traditionum disparem, pro dispari nempe utriusque auctore, esse ~~auctorit~~ auctoritatem, nemo est, qui non apertè intelligat, et vel ea ~~omnia~~, quæ de iis ibidem attulimus exempla produnt. Modò argumenti nostri ratio et Ordo postulat, ut, quando adversarii nostri omnia cætera adversùs nostram de Traditione sententiam adducta argumenta à nobis eliminata et disjecta cernentes, ad istud velut ultimum perfugium suum se recipiunt, atque ajunt, impossibile esse, veras traditiones à falsis distinguere, ab aggere isto idos etiam depellamus, nemon ostendamus, quâ ratione vera Traditiones à se invicem, et per consequens à falsis discerni possint, traditis ad id regulis, quibus adversarii, si aliàs judicio et ra-